MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80196-5

AUTHOR:

LOGDBERG, L.. E.

TITLE:

ANIMADVERSIONES DE ACTIONE PARANOMON.

PLACE:

UPSALIAE

DATE:

1898

Master Negative #

91-80196-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

884
L82

Lögdberg, L E
Animadversiones de actione παρανόμων. Upsaliae, Almquist, 1898.
79 p. 22½cm.

Thesis, Upsala, 1898.

63878

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/20/91 INITIALS: N.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Lögdberg

Animadversiones de actione paranëmën

ANIMADVERSIONES DE ACTIONE

ΠΑΡΑΝΟΜΩΝ

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

L. E. LÖGDBERG

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCVIII

ANIMADVERSIONES DE ACTIONE
ΠΑΡΑΝΟΜΩΝ

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT ET

PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

L. E. LÖGDBERG
LIC. PHIL. NAT. NORRL.

IN AUDITORIO IV A. D. XII CAL. IUN. MDCCCXCVIII

H. A. M. S.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCVIII

Inter cautionis genera, quæ ad reipublicæ statum tuendum ab Atheniensibus excogitata esse cognovimus, erat singularis quædam actio, quæ γραφὴ παρανόμων nuncupabatur. Quam actionem ei intendere licuit, qui rogationem παράνομον ad populum tulerat. In quo animadvertendum enim est, ex iure publico Atheniensium rogationis cuiuslibet ad populum latæ rogatori ipsi non minus iure quam re culpam sustinendam fuisse. Quod quidem in aliis quoque civitatibus græcis quodammodo valuit; certe constat apud complures fuisse sanctiones nonnullorum psephismatum legumve et eas quidem sæpe crudelissimas, quibus obnoxius fieret, si quis de illis abrogandis tulisset aut quid ex iis derogare studuisset[1]. Sed cum alibi, quantum e monumentis perspicere licet, singulis tantummodo decretis ascriptum esset, ut qui de iis rescindendis tulisset certa ac statuta poena maneret, Athenienses hanc, de qua agimus, actionem ad omnes vitiosas rogationes populo propositas impugnandas instituerant; si qua rogatio παράνομος visa erat, cuivis licuit rem ad thesmothetas, qui dicuntur, deferre, legibus, quæ læsæ essent, poenæque æstimatione accusationi ascriptis[2]; thesmothetæ autem litem instruebant, atque iis præsidibus res in iudicio heliastico acta est[3].

---

[1] Cfr Swoboda, Die griech. Volksbeschlüsse p. 86.

[2] Lex. Rhet. Cantabr. v. παρεγράψαντο· οἱ ψήφισμα ἢ νόμον παράνομον (παρανόμων) κρίνοντες εἰς σανίδα ἀπογράφονται τοὺς νόμους, οἷς φασὶν ἐναντία εἶναι τὰ κατηγορούμενα.

[3] Arist. Ἀθ. πολ. c. 59: εἰσάγουσιν οὗτοι (sc. οἱ θεσμοθέται) καὶ γραφὰς παρανόμων καὶ νόμον μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι. —

Hyperid. pro Euxen. § 6: παράνομά τις ἐν τῇ πόλει γράφει· θεσμοθετῶν συνέδριόν ἐστι.

Quo in iudicio si causa reus ceciderat, primum rogatio, etiamsi iam perlata erat, prorsus irrita reddebatur, deinde varia poena rogator ipse afficiebatur (erat enim hæc actio in numero ἀγώνων τιμητῶν), quin si ter hanc litem perdiderat, ei non amplius licebat rogationem ullam ad populum ferre[1]. Sin autem accusator actionem amiserat neque quintam suffragiorum partem tulerat, mille drachmis et insuper deminutione quadam capitis multabatur[2].

Quicunque igitur memoriam antiquitatum Atheniensium paulo copiosius complecti voluerunt, iis necesse fuit in hac γραφῇ tam late patenti describenda versari. Sed multis locis hæc actio tam obscura est, ut cum ad vim eius penitus cognoscendam et singulas quæstiones ad eam pertinentes tractandas viri doctissimi accederent, summa inter eos controversia existeret. Necdum hæc disceptatio discussa est. Quod his paucis exemplis allatis probare mihi liceat. Ac primum quidem Schoemann[3] aliique[4] censuerunt quicunque legem quamlibet vel psephisma tulisset, in eum a quolibet hanc accusationem intendi licuisse, si rogator aut sollemnem ritum ferendi migravisset aut quid iam ratis legibus vel bono publico contrarium rogavisset. Et statuit quidem Schoemann, quicunque hanc actionem instituisset vel iureiurando, quæ ὑπωμοσία vocabatur, interposito sese instituturum esse denuntiavisset, quod quidem in omni delibera-

---

[1] Diod. XVIII, 18: ἦν γὰρ τρὶς ἡλωκὼς παρανόμων καὶ διὰ τοῦτο γεγονὼς ἄτιμος καὶ κωλυόμενος ὑπὸ τῶν νόμων συμβουλεύειν. — Athen. Dipnosoph. X 451 a: πῶς γὰρ γένοιτ' ἄν, ὦ πάτερ,
ῥήτωρ ἄφωνος; — ἦν ἁλῷ τρὶς παρανόμων.

[2] Böckh, Die Staatshaushalt. der Athener, I[3] p. 448 sqq.

[3] De comitiis Atheniensium p. 159 sqq., 272 sqq. (Gryph. 1819).

[4] Heffter, Die Athenäische Gerichtsverfassung p. 157 sqq. (Cöln 1822).
Platner, Der Process und die Klagen bei den Attikern II p. 25 sqq. (Darmst. 1825).
Bakius, Scholica Hypomnemata IV p. 57 (Lugd. Batav. 1852).
Hermann, Lehrb. der griech. Antiquit. I (ed. Bähr et Stark) p. 508 sqq. (Heidelb. 1875).
Schwarcz, Die Demokratie von Athen I p. 104 sq. (Leipzig 1891).

tionis quasi gradu fieri potuisse censet[1], ita statim effecisse cuiuslibet rogationis dilationem.

Alii autem, ut Grote[2], Madvig[3], Neubauer[4], Thumser[5], negant per hanc γραφήν incommoda legum psephismatumve impugnari licuisse. Quin Madvig, cui Neubauer adstipulatur, contendit initio ferendi tantummodo vitiosum ritum in crimen esse vocatum.

In egregia commentatione, quam de nomothesia attica Schoell[6] scripsit, vir ille celeberrimus aliam protulit sententiam. Probare enim studuit, si lex[7], quæ dicitur, rogatio fuisset, etiam ἐπιτηδείου nomine accusationem fulciri potuisse; erat igitur, si Schoellio credimus, in legibus accusatori liberum id respicere, quatenus rogatio utilis esset, in psephismatibus non item. Neque desunt, qui hanc ratiocinationem

---

[1] Vide præter locum laudatum Animadvers. de nomothetis (= Op. ac. I p. 257 sqq.).
Hermann l. c.
Fränkel, Die attischen Geschworenengerichte p. 38 (Berlin 1877).
Bagnato, Beiträge zur Gesch. der Gesetzgebung im Altertum p. 10 sq. (Stuttg. 1887).

[2] History of Greece V p. 503 sqq. (London 1849).

[3] Eine Bemerkung über die Gränze der Competenz des Volkes und der Gerichte bei den Athenaiern, 1864 (= Kl. Philol. Schriften p. 378 sqq., Leipzig 1875).

[4] Ueber die Anwendung der γρ. π. bei den Athenern zur Abschaffung von Gesetzen p. 7 sq. (Marburg 1880).

[5] K. F. Hermann's Lehrb. der griech. Antiqvitäten: Staatsalterth. II p. 530 (Freib. 1892). Eidem olim favebat opinioni Lipsius in Bursians Jahresberichte XV p. 313 (Berlin 1880), Der attische Process I p. 428 sqq. (Berlin 1883—1887).

[6] Ueber attische Gesetzgebung, Sitzungsber. der Akad. der Wiss. zu München 1886 p. 83 sqq.

[7] Notum est latinam illam vocem, quæ est lex, et νόμους significare posse et ψηφίσματα. Sed cum discrimine quodam opus sit, prius illud genus legum nomine designo, hoc autem psephismatum vocabulo. Progrediente autem sermone (vide p. infra 49 sqq.) necesse mihi erit inter νόμους, quales Demosthenis ætate intelligebantur, et prisca illa atque Solonis iura discrimen quoddam statuere. Quæ quidem iura, ubi distinctione opus fuerit, græco νόμων vocabulo appellabo.

veram iudicent; cum Schoellio enim faciunt Busolt[1], Gilbert[2], alii. Atque cum Schoemann, ut admonuimus, affirmasset, hanc intercessionem in quovis deliberationis quasi gradu factam esse, et ante populi suffragia nomothetarumve iudicium et post suffragia lata, ac statim dilationem rogationis effecisse, haudquaquam Schoellio sententiam suam probat. Negat enim Schoell eoque auctore cum alii tum Thumser et Busolt fieri potuisse, ut per huiusmodi intercessionem ritus sollemnis nomothesiæ dirimeretur; licuisse igitur post nomothetarum demum disceptationem hanc γραφήν contra legis auctorem intendere.

Jam vero Lipsius, Aristotelis libro de republica Atheniensium in lucem prolato, testimonio quodam illius auctoris fretus (vide supra p. 1 adn. 3) eam sibi huius actionis vim informavit, ut statueret in solis psephismatibus ei locum fuisse[3]. Quam sententiam postea in eam partem mutavit, ut credat et in legibus et in psephismatibus adhibitam esse; distinguendam autem accurate hanc accusationem censet ab ea γραφῇ, qua Athenienses ad incommoda legum impugnanda usi sint[4].

Nec minor fuit dissensio de eo, a quo tempore origo γραφῆς παρανόμων repetenda esset. Nam alii ad Solonem institutionem eius retulerunt[5], alii Soloni quidem eam abiudi-

[1] Die griech. Staats- und Rechtsaltert. p. 264 (München 1892). — Griech. Gesch. III p. 281 (Gotha 1897).

[2] Hdb. der griech. Staatsalterth. I p. 338, Leipzig 1893.

[3] Ber. d. kön. sächs. Gesellsch. der Wiss. 1891 p. 48.

[4] Schoemann-Lipsius, Griech. Alterth. I p. 416 (Berlin 1897). — Non alienum est commemorare, qualem hac in re huius actionis rationem sibi finxerint Bakius et Hartelius. Ille negat (l. c. p. 44) in nova lege lata ὑπωμοσίαν ullam fuisse usurpatam liberumque tantum τῷ βουλομένῳ fuisse affirmat latorem in ius vocare hac publica actione, in psephismatibus vero suspicatur (l. c. p. 66) debuisse auctorem psephismatis in ius vocari ante comitia, in quibus populus de ipsa rogatione in suffragia mittendus esset. Hic autem, qui eam sententiam protulit, in comitiis Atheniensium binas fuisse suffragiorum lationes, priore latione hanc actionem terminatam voluit (Studien über attisches Staatsrecht und Urkundenwesen p. 251 sqq., Wien 1878).

[5] Velut Schoem., De com. l. c. — Platner l. c. — Wilamowitz, Aristoteles u. Athen II, 194 (Berlin 1893). — Busolt, Griech. Gesch. l. c. p. 279 sqq.

caverunt, nec tamen ipsi de tempore quicquam statuere ausi sunt[1], alii denique ad Ephialtæ illam conversionem reipublicæ originem eius revocaverunt[2].

Quæ cum ita essent et tam dissimiles inter seque tam diversæ sententiæ de γραφῇ παρανόμων prolatæ essent, speravi non frustra operam me insumpturum esse, si ea, de quibus potissimum ambigeretur, hac in commentatione in quæstionem denuo vocavissem. Atque hoc eo magis, quod qui nostra quidem ætate de hac γραφῇ fusius disseruerunt, in singulis modo accusationis partibus versati sunt.

Sed instituenti mihi in huius actionis vim inquirere, necessarium videtur esse universam nomothesiam atticam describere, qualem Demosthenis temporibus fuisse existimandum est. De qua legibus, quæ in Demosthenis orat. in Timocr. servatæ sunt, optime edocemur. Nec tamen defuerunt, qui harum legum auctoritatem impugnarent, sicut omnes ferme publicæ litteræ, quæ apud oratores exstant. nonnullis spuriæ visæ sunt. In quorum numero est Westermannus, qui acute ille quidem, sed haudquaquam argumentis ad persuadendum aptis has Timocrateæ orationis leges haud dubie spurias esse obtinere conatus est[3]. Cuius tamen argumentationi adversarius exstitit Schoell[4], qui earum fidem tam firmis argumentis sustentavit, ut nunc de singulis modo harum legum locis controversia existere possit. Quare his præsertim legibus usi nomothesiam describere conemur.

Cautum igitur erat, ne quovis anni tempore leges ferrentur, sed initio tantum anni nomothesiæ locus fiebat; tum enim, undecimo die primæ prytaniæ, erat in comitiis recensio legum, quam ἐπιχειροτονίαν νόμων Athenienses appellabant:

[1] Ut Lipsius, Griech. Alterth. I p. 525.

[2] Grote l. c. et III p. 162 sqq. — Schmidt, Perikles u. sein Zeitalter p. 42 sqq. — Frænkel l. c. p. 66 sqq. — Holm, Gesch. Griechenlands II p. 176 adn. I (Berlin 1889). — Schwarcz l. c. p. 102 sqq.

[3] Untersuchungen über die in die attischen Redner eingelegten Urkunden, Abhandl. der sächs. Ges. d. Wiss. Leipzig 1850 p. 7 sqq.

[4] l. c. p. 83 sqq.

Timocr. § 18[1]: καὶ πρῶτον μὲν ἁπάντων χρόνος ἐστὶ γεγραμμένος, ἐν ᾧ προσήκει νομοθετεῖν. —

Or. adv. Lept. § 90: οὐ γὰρ ᾤετο δεῖν ὁ Σόλων — — τοὺς νόμους — — ἐπὶ καιροῦ τεθέντας ὅπως ἔτυχον μὴ δοκιμασθέντας κυρίους εἶναι.

Timocr. § 20: ἐπὶ δὲ τῆς πρώτης πρυτανείας τῇ ἑνδεκάτῃ ἐν τῷ δήμῳ — — ἐπιχειροτονίαν ποιεῖν τῶν νόμων κτλ.

§ 26: οὔτ' ἀνέμεινεν οὐδένα τῶν τεταγμένων χρόνων ἐν τοῖς νόμοις, ἀλλὰ τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τοὺς νόμους ἐπεχειροτονήσατ', οὔσης ἑνδεκάτῃ τοῦ ἑκατομβαιῶνος μηνὸς, δωδεκάτῃ τὸν νόμον εἰσήνεγκεν κτλ.

Rogatus enim populus, utrum novam legem ferri placeret, an veteres sufficere viderentur, in suffragium a prytanibus mittebatur:

§ 25: καὶ πρῶτον ἐφ' ὑμῖν[2] ἐποίησαν διαχειροτονίαν, πότερ' εἰσοιστέος νόμος ἐστὶν καινὸς ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν[3] οἱ κείμενοι.

§ 21: τοὺς πρυτάνεις ἐφ' ὧν ἂν ἡ ἐπιχειροτονία γένηται κτλ.

Quam epichirotoniam secundum leges receptas fieri oportebat:

§ 20: τὴν δ' ἐπιχειροτονίαν[4] εἶναι τῶν νόμων κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους.

---

[1] Secutus sum editionem Blassii.

[2] ὑμῖν: "indicibus tribuit quod universi populi est, quatenus et ipsi pars quædam populi sunt". (Schoem. de com. p. 254 adn. 12).

[3] Recte animadvertit Schoem. l. c. p. 252 adn. 8: "verbo ἀρκεῖν non satis ad amussim respondet latinum sufficere. Non solum an satis legum esset, populus rogabatur, sed an bonæ essent et idoneæ; neque solum augeri leges, sed etiam veteres novis commutari iubebat, id quod sequentia quoque demonstrant: ἐὰν δέ τινες τῶν νόμων τῶν κειμένων ἀποχειροτονηθῶσι."

[4] Schelling, Fragmenta Solonea de legibus (Dem. Dind. v. VI p. 965) ἀποχειροτονίαν voluit, quæ tamen coniectura iam a Frankio in censura Schellingiani libri optimo iure repudiata est. Bakius autem ita verba κατὰ — κειμένους accepit (l. c. p. 34), ut affirmaret hanc censuram perlatas tantummodo leges, non novas attigisse. Quod quidem ut haud dubium est, ita difficile videtur huic loco illam sententiam obtrudere, id est, hanc vim voci illi κατά subiicere. At vero, qui tandem fieri potest, ut hac in lege, quæ ipsa legum recensionis naturam describit, ad alias nescio quas leges reiiciamur? Hæc delegatio Westermanno sensu prorsus carere videtur (l. c. p. 49) atque eius argumentatione commotus Schoell

Præceptum erat, ut si quid in legum corpore mutari voluisset populus, quinque viri crearentur, qui apud nomothetas patrocinium legum, de quibus abrogandis ferretur, reciperent:

§ 23: αἱρεῖσθαι δὲ καὶ τοὺς συναπολογησομένους τὸν δῆμον τοῖς νόμοις, οἳ ἂν ἐν τοῖς νομοθέταις λύωνται, πέντε ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ ἑκατομβαιῶνος μηνός[1].

(l. c. p. 99) locum interpolatum indicavit. Sed omnis de integritate loci dubitatio tolletur, si sumpseris speciales de ritu in epichirotoniis suffragandi leges fuisse. In quibus legibus inter alia hoc quoque forsitan præscriptum fuerit, ut antequam suffragia ferrentur vel de legibus vel de aliis rebus personisve, de quibus in epichirotoniis ageretur, disserendi copia daretur. Neque enim admitti potest sententia illa, quam protulit Valeton, Mnemosyne XV p. 370 sqq., duo fuisse epichirotoniarum genera, quorum in altero deliberationi fuisse locum, alterum autem deliberationem non habuisse. Cfr Lipsium, Leipz. Stud. XVII p. 410 sqq.

[1] Verba τῇ — μηνός putide repetita esse ex initio huius legis statuit Bake, l. c. p. 61; non potuisse enim certum negotium Syndicis mandari, nisi cognito eo, quod esset defendendum. Atque eodem fere modo ratiocinatur Schoell, qui verba illa uncis includit et creationem syndicorum ad comitia nomothetis deligendis refert. Nam et alieno loco verba exstare censet et absurdum esse arbitrari iam in prima ecclesia, ubi id solum decerneretur, utrum omnino leges mutandæ essent necne, de idoneis syndicis quicquam statui potuisse. At prius illud mihi quidem parvi momenti esse videtur et ad hoc in promptu est respondere, cum lege præstituta essent primæ ecclesiæ negotia, facile copiam populum habuisse ante ecclesiæ diem rem deliberandi et de idoneis viris meditandi. Creationem vero eorum cum nomothetarum electione coniungere, nullo pacto necessarium est. Nempe varius fuit nomothetarum numerus, prout res postulaverat, neque ante rogationum multitudinem perspectam de eo decerni poterat. Etenim Pollucis testimonium VIII, 101: νομοθέται γὰρ ἦσαν χίλιοι, ἐν οἷς ἐξῆν λῦσαι νόμον παλαιόν, ἀλλ' οὐ θεῖναι νέον non ad nomothesiam universam revocandam esse, perspicuum est. Quod quidem vel inde apparet, quod negat Pollux apud nomothetas novas leges acceptas esse. In quo verisimillimum est Pollucis animo obversatos esse locos tales, qualis est Dem. Olynth. III § 10 sq., ubi orator hæc habet: νομοθέτας καθίσατε. ἐν δὲ τούτοις τοῖς νομοθέταις μὴ θῆσθε νόμον μηδένα (εἰσὶ γὰρ ὑμῖν ἱκανοί), ἀλλὰ τοὺς εἰς τὸ παρὸν βλάπτοντας ὑμᾶς λύσατε. In quo Dem. ad idem vitium pronum se ostendit, cuius alias suæ ætatis legislatores arguit. Vel denique ad thesmothetarum emendationem, de qua mox verba faciam, dictum Pollucis referendum est. Atque est verisimillimum, numerum quoque Pollucem e singulari quadam causa sumpsisse (v. gr. ex Epicrat. pseph. § 37: τοὺς δὲ νομοθέτας εἶναι ἕνα καὶ χιλίους ἐκ τῶν ὀμωμοκότων).

§ 36: τοὺς συνηγόρους, οὓς χειροτονεῖτε κτλ. — (in Lept. § 146: ᾕρηνται δὲ τῷ νόμῳ σύνδικοι κτλ., vide infra, p. 22 sq.).

Iam quilibet Atheniensium rogandi potestatem habuit. Præscriptum tamen erat, ut rogationem suam pro eponymorum statuis in albo omnes dies usque ad postremam prytaniæ ecclesiam proponeret et scribæ traderet, qui in comitiis, quæ interim haberentur, eam recitaret, quo melius ab omnibus cognosceretur atque quicunque vellet, si rogatio incommoda visa esset, in comitiis, re bene pensata, dissuadere posset:

§ 23: πρὸ δὲ τῆς ἐκκλησίας (sc. τῆς τελευταίας τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν — § 21 —) ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων ἐκτιθέτω πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων γράψας τοὺς νόμους, οὓς ἂν τιθῇ, ὅπως ἂν πρὸς τὸ πλῆθος τῶν τεθέντων[1] νόμων ψηφίσηται ὁ δῆμος περὶ τοῦ χρόνου τοῖς νομοθέταις. Ὁ δὲ τιθεὶς τὸν καινὸν νόμον ἀναγράψας εἰς λεύκωμα ἐκτιθέτω πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων ὁσημέραι, ἕως ἂν ἡ ἐπκλησία γένηται.

§ 25: ἐν δὲ τῷ μεταξὺ χρόνῳ τούτῳ προσέταξαν τοῖς βουλόμενοις εἰσφέρειν ἐκτιθέναι τοὺς νόμους πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων, ἵν' ὁ βουλόμενος σκέψηται, κἂν ἀσύμφορον ὑμῖν κατίδῃ τι, φράσῃ καὶ κατὰ σχολὴν ἀντείπῃ.

§ 36: ἐκτιθέναι κελεύει τοῦ προειδέναι πάντας· τάχ' ἂν εἰ τύχοι τοὺς μὲν ἀντειπόντας ἂν εἰ προαίσθοιντο λάθοι, οἱ δ' οὐδὲν προσέχοντες ἀναγνοῖεν ἄν.

Lept. § 94: καὶ πρὸ τούτων γ' ἐπέταξεν (sc. ὁ Σόλων) ἐκθεῖναι πρόσθε τῶν ἐπωνύμων καὶ τῷ γραμματεῖ παραδοῦναι, τοῦτον δ' ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγιγνώσκειν, ἵν' ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας πολλάκις καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος ἂν ᾖ καὶ δίκαια καὶ συμφέροντα ταῦτα νομοθετῇ[2].

---

[1] Codd. (ἐκτεθέντων tamen F., quam lectionem Blassius recepit; conferas tamen velim p. 46 adn. 4).

[2] Perspicuum est e verbis πολλάκις ἀκούσας κτλ. in omni ecclesia rogationes a scriba recitatas esse, non in postrema tantum ecclesia, ut vult Bakius l. c. p. 35. Conferas velim Dinarch. in Demosth. § 42: εἰσί τινες ἐν τῷ δικαστηρίῳ τῶν ἐν τοῖς τριακοσίοις γεγενημένων, ὅθ' οὗτος ἐτίθει τὸν περὶ τῶν τριηράρχων νόμον; οὐ φράσειε τοῖς πλησίον, ὅτι τρία τάλαντα λαβὼν μετέγραψε καὶ μετεσκεύασε τὸν νόμον καθ'

Itemque hac cautione ad nomothetarum numerum (vide supra p. 7), tempus, alia huiusmodi constituenda opus erat.

Quo facto præscriptum erat ut prytanes in postrema prytaniæ ecclesia de legibus nomothetis permittendis, de nomothetis deligendis, de mercede eorum cet. referrent:

§ 21: τοὺς πρυτάνεις — — — ποιεῖν περὶ τῶν ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν[1]. τούς δὲ προέδρους, οἳ ἂν τυγχάνωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπάναγκες πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τῶν νομοθετῶν, καθ' ὅτι καθεδοῦνται[2], καὶ περὶ τοῦ ἀργυρίου, ὁπόθεν τοῖς νομοθέταις ἔσται.

§ 25: τὴν τρίτην ἀπέδειξαν ἐκκλησίαν καὶ οὐδ' ἐν ταύτῃ

ἑκάστην ἐκκλησίαν κτλ. Rogationibus in ecclesiis adversari licuisse e Timocr. §§ 25, 36 effici mihi videtur. *Quin etiam per hypomosiam tunc quamvis legem differri potuisse credo.* Cfr p. 35 sqq. Quare Schoellio adstipulari non possum. Ait enim ille l. c. p. 107: "Die Begründung ist nicht ganz klar, da man nicht einsieht wo eine Besprechung hätte stattfinden und Widerspruch geäussert werden können. Denn in der Gemeindeversammlungen werden die Gesetze wohl verlesen, über ihren Inhalt aber nicht verhandelt. Man könnte an Agitation in Parteiversammlungen denken; die Parallelstelle in der Rede gegen Lept. § 94: καὶ πρὸ τούτων — — — ταῦτα νομοθετῇ (vide supra) legt nahe, dass die Bemerkung im Grunde nur für diejenigen gilt, die in der Folge als Nomotheten berufen sind über die Annahme und Ablehnung zu entscheiden." Hæc quidem Schoellius. Sed quidni credamus, in ipsis ecclesiis de legibus promulgatis, iure sententiæ dicendæ cuilibet facto, in utramque partem disputatum esse, dummodo ne statuamus in iis quicquam *scisci* potuisse? Neque enim negari potest, magni nomothetarum interfuisse antequam suffragia ipsi ferrent cognoscere, quid de legibus populus comitiorum præiudicaret.

[1] Schoellium secutus verba τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν sic interpretor: postremam trium reliquarum contionum, i. e. ultimam legitimam prytaniæ ecclesiam. Vide Gilb. l. c. p. 337 adn.

[2] Bakius l. c. p. 34 autumat, hac in contione populum in suffragia missum esse, non utrum nomethetæ constituendi essent, sed καθ' ὅτι καθεδοῦνται, i. e. quibus de legibus iudicaturi et pronuntiaturi essent etc. — Sed ut ab illa notione vocabulo, quod est κατά, male obtrusa discedatur, per sese apparet, penes nomothetas iudicandi arbitrium fuisse de omnibus legibus latis, nisi forte cui intercessum esset.

τιθέναι δεδώκασιν, ἀλλὰ σκέψασθαι καθ' ὅτι τοὺς νομοθέτας καθιεῖτε.

Nomothetæ vero ex eorum, qui ius iurandum heliasticum dederant, numero deligebantur:

§ 21: τοὺς δὲ νομθέτας εἶναι ἐκ τῶν ὀμωμοκότων τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον.

Iam apud nomothetas de legibus decernendum erat. Cautum erat, ne qua rata lex tolleretur, nisi nova in eius locum subrogaretur, neve rursus nova lex acciperetur, nisi vetere ei contraria abrogata:

§ 33: τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα, ἐὰν μὴ ἐν νομοθέταις· τότε δ' ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων λύειν, ἕτερον τιθέντι ἀνθ' ὅτου ἂν λύῃ.

§ 34: οὐκ ἐᾷ τοῖς ὑπάρχουσι νόμοις ἐναντίον εἰσφέρειν, ἐὰν μὴ λύσῃ τὸν πρότερον κείμενον.

Lept. § 93: συνίεθ' ὃν τρόπον, ὦ ἀ. Ἀθ., ὁ Σόλων τοὺς νόμους ὡς καλῶς κελεύει τιθέναι — — — — λύοντα τοὺς ἐναντίους, ἵν' εἷς ᾖ περὶ τῶν ὄντων ἑκάστου νόμος. Disceptabatur igitur de legibus apud nomothetas. Disputatione finita, nomothetæ, a proedris sententias rogati, primum utrum commoda populo Atheniensium vetus lex videretur necne, dein de nova similiter, pro alterutra suffragium inibant:

Timocr. § 33: διαχειροτονίαν δὲ ποιεῖν τοὺς προέδρους περὶ τούτων τῶν νόμων, πρῶτον μὲν περὶ τοῦ κειμένου, εἰ δοκεῖ ἐπιτήδειος εἶναι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ἢ οὔ, ἔπειτα περὶ τοῦ τιθεμένου· ὁπότερον ἂν χειροτονήσωσιν οἱ νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι.

Leges universam et infinitam vim habere oportebat [1]. Per simplex psephisma legibus ratis obrogari non licebat.

[1] § 59: Νόμος· Μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις τιθῇ, ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις (sic codd.). Eadem lex apud Andoc. exhibetur de myst. § 87 his verbis concepta: μηδὲ ἐπ' ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις. Atqui oratores ipsi compluribus locis hanc legem commemorant, nulla de illa clausula: ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον κτλ. vel ἐὰν μὴ ἑξ. κτλ. mentione iniecta. Cfr Dem. Timocr. §§ 59, 188, Aristocr. §§ 86, 218, Steph. II § 12, Andoc. l. c. § 89. Iam ut ab eo discedamus, quod

Dem. Aristocr. § 87: ψήφισμα δὲ μηδὲν μήτε βουλῆς μήτε δήμου νόμου κυριώτερον εἶναι.

in lege apud Andocidem servata non eadem clausulæ formula præbetur quæ in illa Timocratea lege, quæri potest, num omnino ius publicum Atheniensium huius modi exceptionem cognoverit. Quod quidem iam dudum in magna doctorum hominum controversia versatur. Neque enim fieri potuit, quin mirum videretur, quod Demosthenes ipse hanc clausulam silentio præterit et id quidem, ubi omnia molitur ad Timocratis legem evertendam (Westerm. l. c. p. 47); nonne multo firmiorem Demosthenis causam futuram fuisse existimandum est, si potuisset addere, Timocrati apertam fuisse legitimam viam, quam ille malo dolo sprevisset? (sic fere Valeton, Mnemosyne XV p. 22). Höffler, De nomothesia attica p. 31 sq. ita sibi rem informavit, ut suspicaretur, legem illam apud Andocidem servatam formulam huius νόμου talem exhibere, qualis post triginta tyrannos expulsos constituta esset; mutatam vero ante Demosthenis ætatem in eam partem esse, ut prisca ei formula redderetur, i. e. ut clausula tolleretur. Quæ tamen explicatio, ut recte Valeton animadvertit, iam Andocidis ipsius verbis refutatur, qui legis formam recitat talem, qualem Demosthenes eam præbet. Aliæ igitur huius rei explanandæ viæ nobis ingrediendæ sunt. Et re vera plures sunt initæ. Ac primum quidem Taylor, Schæfer, alii negant privas leges omnino rogari licuisse; privilegiis illam Atheniensium ἰσονομίαν plane obstitisse; spuriam igitur esse illam legis partem, quæ clausulam contineat. Valeton autem l. c. p. 7 sqq. eoque auctore Gilbert, Hbd. I p. 334, affirmant vetitum quidem fuisse, ne *leges privæ* rogarentur; nullum igitur in νομοθεσίᾳ privilegiis locum fuisse; ergo grammatico cuidam clausulam illam deberi. *Populiscita* vero *priva* (ψηφίσματα ἐπ' ἀνδρί) vetita non fuisse. Quod ad hoc posterius attinet sine dubio Valeton verum assecutus est statuendo illud discrimen inter ψηφίσματα ἐπ' ἀνδρί et νόμους ἐπ' ἀνδρί asseverandoque, administrationem rei publicæ Atheniensium magnam exemplorum copiam privilegiorum præbuisse. Nec tamen, si id concedimus, idcirco in Valetonii sententia aquiescere licet. Nam si νόμους ἐπ' ἀνδρί omnino vetitos esse arbitramur, quid tandem sibi volunt verba illa εἰ δὲ μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις. Neque enim, quantum equidem perspicere valeo, ullo alio modo intelligi possunt, nisi si statuas, his additis verbis condicionem quandam obiici, sub qua huiusmodi leges ferri liceat. Quæ tandem ista condicio fuit? Non ea quidem, ut lex privatos homines omnino non tangeret (tum enim haud esset νόμος ἐπ' ἀνδρί), sed ea, ut de singulis quidem lex concepta esset, sed ita tamen, ut simul ad omnes cives æque pertineret, quatenus præscriptam condicionem adipisci possent. Quod si ita res se habet, quid dicendum est de clausula illa ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον κτλ. Primum quidem non licet hanc legis partem ideo ut spuriam eiicere,

Timocr. § 30: . . . ψήφισμ' οὐδὲν, οὐδ' ἂν ἔννομον ᾖ, νόμου κυριώτερον εἶναι.

---

quod silentio eam oratores ipsi prætereant: ni fallor, oratorum illis locis interfuit ita vim legis accipere, velut si sub nullis condicionibus leges privas ferri licuisset. In commentatione nuperrime edita, quæ est inscripta Ueber die bei den attischen Rednern eingelegten Urkunden, Jahrb. f. Class. Philol., 24:ster Suppl. p. 253 sqq. (Besonderer Abdr. Leipzig 1898) Drerup ita rem expedire conatur, ut affirmet verba illa ψηφισαμένων κτλ. de nomothetis accipienda esse; omnem enim heliastarum numerum interdum nomothetarum vicibus functum esse. Et sic sentit, potuisse nomothetas quasdam constituere condiciones, sub quibus in gratiam privatorum hominum legibus solvere licuisset. Quam quidem gratiam cuivis Atheniensium concedi potuisse, quam tamen ut assequeretur singulare quoque ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί opus fuisse. — Acuta hæc quidem Drerupii sententia, neque tamen omni ex parte viro docto adstipulari queo. Etenim si nomothetas in huiusmodi νόμοις ἐπ' ἀνδρί constituendis versatos esse existimamus, haud facile credere possumus id fieri potuisse, nisi antea de ea re latum esset. Nec rursus existimandum est id licuisse facere (sc. νόμον ἐπ' ἀνδρί ferre), nisi impunitate rogandi concessa, si quidem postea ad *usum* huius legis semper ψήφισμα singulare opus fuisse arbitramur. Et quod negat Drerup huiusmodi leges, antequam nomothetis traderentur, comitiis subiectas esse, et eam quidem ob rem, quod populus de singulis legibus præiudicium non faceret, haud in magno discrimine ponendum est, si datione sola impunitatis legum ferendarum hoc præiudicium terminamus. Ego vero hoc modo sentio rem expediendam esse. Licuit νόμον ἐπ ἀνδρί ferre, sed ita, si caveretur, ut deinceps omnes Athenienses huius legis commodorum participes fieri possent (vide supra!) atque si sex millia Atheniensum occultis suffragiis ferendi impunitatem dedissent. Neque igitur necessarium est posteriorem huius legis partem delere. Nec rursus correctione ulla *opus est*. Petitus quidem inseruit ἐὰν μή ante ψηφισαμένων κτλ. atque eum sequitur Blassius, qui insuper vocabulum illud τιθῇ uncis includit. Et Reiske voluit: — τιθῇ ἢ ψηφισαμένων ad ἢ ratus simul esse audiendum ἐξέστω. Quæ tamen lectiones probari non possunt; nulla enim tunc alia sententia huic νόμῳ subiicienda esset nisi, sex millium suffragiis datis, quælibet in gratiam singulorum sanciri potuisse, id quod νόμων naturæ valde repugnat. Quamobrem huius legis conceptionem, qualis apud Andoc. in lege illa § 87 exhibetur, veram esse existimare nullo modo possum. Qui locus quomodo sanandus sit nunc non curo; forsitan delendum sit illud ἐὰν — — — μὴ ψηφισαμένων, ut Lipsius sibi persuasit. — Ut quodammodo illustrem, quemadmodum hi loci conciliari *possint*, hoc in connexu, vocabulis nonnullis insertis, alterum alteri oppono:

Andoc. de myst. § 87: ψήφισμα δὲ μηδὲν μήτε βουλῆς μήτε δήμου νόμου κυριώτερον εἶναι.

Hæc fuit sollemnis legum censura. Atque Aeschines orat. in Ctesiphontem de annua quadam thesmothetarum legum censura mentionem facit, de qua sæpe multumque disputatum est. Hæc enim habet l. c. § 38: διαῤῥήδην προστέτακται τοῖς θεσμοθέταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ τοὺς νόμους, ἀκριβῶς ἐξετάσαντας καὶ σκεψαμένους, εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος ἑτέρῳ νόμῳ ἢ ἄκυρος ἐν τοῖς κυρίοις ἢ εἴ που εἰσὶ νόμοι πλείους ἑνὸς περὶ ἑκάστης πράξεως ἀναγεγραμμένοι, κἄν τι τοιοῦτον εὑρίσκωσιν, ἀναγεγραφότας ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι κελεύει πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων, τοὺς δέ πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντας νομοθέτας[1] τὸν δ' ἐπιστάτην τῶν προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ (·) καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως. Complures hanc διόρθωσιν cum illa altera censura similitudines habere, negari nequit. Quid igitur cogitandum est de hac thesmothetarum recensione, cuius hic solus orator diserte meminit[2]? Sed tamen et aliunde constat, thesmothetas quodammodo in legibus emendandis versatos esse. Ait enim Photius v. θεσμοθέται: — καὶ ἦσαν διορθωταὶ τῶν νόμων. Cfr Dem. Lept. § 90: τοὺς μὲν θεσμοθέτας τοὺς ἐπὶ τοὺς νόμους κληρουμένους δὶς δοκιμασθέντας ἄρχειν. Coniunctam fuisse cum ἐπιχειροτονίᾳ νόμων,

---

Andoc. de Myst. § 87: μηδὲ ἐπ' ἀνδρί νόμον ἐξεῖναι θεῖναι ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις [μηδὲ τοῦτο ἐξέστω], ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.

Dem. Timocr. § 59: μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις τιθῇ [τοῦτο δὲ ἐξέστω] ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.

[1] codd. (ἐπιγράψαντος Vat.). — νομοθέταις Dobr., Franke, Schultz, Weidner. — προγράψαντας Bake, Weidner.

[2] Harpocr. pro huiusmodi emendatione thesmothetarum Theophrastum quoque testem adfert: θεσμοθέται· καλοῦνται δὲ οὕτως, ὅτι τῶν νόμων τὴν ἐπιμέλειαν εἶχον. Ὅτι δὲ τοὺς νόμους οὗτοι διώρθουν κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον, εἴρηκεν Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος καὶ Θεόφραστος ἐν γ, Νόμων.

quam supra descripsimus, credamus? Sic Wolfius[1], quamvis dubitanter, Schoemann[2], Frænkel[3], aliique censent. Diversam autem fuisse et quæ quolibet anni tempore fieri potuerit alii contendunt. Sic olim Schoemann[4], Hoeffler[5], Schoell[6], Thumser[7], alii. Quod ad priorem illam sententiam attinet, nonnulla sunt, quæ dubitationem movere possint. Nam ut Schoemann in libro suo de comitiis scripto[8] et Hoeffler dicunt, vix nobis persuadere possumus, thesmothetas intra tam paucos dies, cum magistratum nuperrime iniissent, satis pervestigasse totum iuris attici corpus[9]. Deinde in διορθώσει illa de abrogandis tantummodo legibus agitur, non de novis subrogandis. Ceteroquin, si adiunctam epichirotoniæ statuimus, mirum videtur, quod in Timocr. nulla de ea mentio fit. Diversam igitur fuisse statuamus necesse est neque certum ei anni tempus præscriptum esse. Verumtamen hic quoque inter populum et nomothetas eadem fuit ratio quæ in altera illa legum censura. Cautum enim, ut monuimus, erat, ut thesmothetæ leges inter sese repugnantes aut iam obsoletas neque diserte abolitas aut plures de eadem re receptas pro eponymorum statuis in tabulis proponerent, tum prytanes comitia nomothetis deligendis edicerent[10],

---

[1] Prolegg. in orat. Lept. (Demosth. Dind. VI p. 637).

[2] Antiqu. iur. publ. p. 227 sq. adn. 7.

[3] l. c. p. 25.

[4] De com. p. 260.

[5] De nomoth. att. p. 7 sqq.

[6] l. c. p. 116 adn. 3.

[7] l. c. p. 530.

[8] p. 266.

[9] Superioris anni thesmothetas antequam magistratu abirent eo munere functos esse ac quæ illi collegissent in novi anni epichirotonia recitata esse, ut vult Schoem. Antiquit l. c., prorsus incredibile est.

[10] Sic locum difficillimum accepi. Cum Schoemanno, De com. p. 259 sq. adn. 28, cui Schoellius adstipulatur, verba ἐπιγράψαντας νομοθέτας interpretor: ecclesiam de nomothetis habendam esse in programmate scribere. Dissimilem autem in modum horum verborum vim atque sententiam indagare studuerunt viri docti. Velut Schelling, De legib. Solonis (Dem Dind. VI p. 966) hunc locum eo modo intellectum voluit, ut statueret prytanes, nominibus nomothetarum in tabulis propositis, populum in suffragia de eo misisse, utrum illa nomina placerent necne. Cui quidem interpretationi ne nimium tribuatur, monere supervacaneum esse duco. Hoeffler autem, qui sicut complures recentiorum νομοθέταις vult, hanc præbet versionem: (prytanes populum in contionem vocare debent) in programmate suo scribentes nomothetis, i. e. quicunque de legibus abrogandis sententiam ferre vult, qui nomotheta esse vult, is in contionem veniat. Sed nomothetæ ex eorum numero erant, qui iusiurandum heliasticum dederant. An censemus ad id ipsum universum comitiorum populum iureiurando adactum esse? Appellatur quidem nomothetarum collegium ecclesia quædam ab auctore incerto Lex. Rhet. Bekk., sed propter alias causas (vide p. 19 adn. 2). Alii vero (Bake, Weidner) προγράψαντας νομοθέταις scribunt, nisi locis, qualis est Dem. de falsa leg. § 185: ὅταν ᾖ κήρυξι καὶ πρεσβείαις προγεγραμμένον (cfr Polluc. VIII, 95: προγράφουσι (οἱ πρυτάνεις) πρὸ τῆς βουλῆς καὶ πρὸ τῆς ἐκκλησίας, ὑπὲρ ὧν δεῖ χρηματίζειν). Bene quidem, neque tamen correctione opus est, cum codicum scriptura defendi possit (cfr Schoellium l. c. p. 116, adn. 4). — Eodem fere modo quo Schoemann hæc verba accipit Funkhænel in censura libri Schellingiani, quæ exstat in Neue Jahrb. f. Philol. 1842, p. 405.

princeps proedrorum ad populum referret[1], velletne nomothetas deligi; nomothetæ vero alias tollerent, alias servarent leges ita ut de singulis rebus singulæ leges existerent[2].

---

[1] Schoellius l. c. p. 117 διαχειροτονίαν ad nomothetas refert, quam ob rem verba illa τῷ δήμῳ tollit, e superioribus verbis διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ inserta esse opinatus. Ego vero nihil video, cur διαχειροτονία populo abiudicanda sit, si quidem cum Funkhænelo l. c. p. 406 διαχ. sic interpretamur: rogabatur populus, utrum deligendi essent nomothetæ necne. Si placuerat, deligebantur iudices iurati et de legibus suffragium ferebant sicut in altera illa legum recensione.

[2] καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως. Hæc ad nomothetarum munus referenda esse elucet e § 40: εἰ τοίνυν — — — ἦσαν δύο νόμοι κείμενοι περὶ τῶν κηρυγμάτων, ἐξ ἀνάγκης οἶμαι τῶν μὲν νομοθετῶν ἐξευρόντων, τῶν δὲ πρυτάνεων ἀποδόντων τοῖς νομοθέταις ἀνῄρετ' ἂν ὁ ἕτερος τῶν νόμων κτλ. Nonnulli hæc verba interpolata esse contendunt, quia minus apte oratio procedat. Kaibel, Hermes XVII (1882) p. 411 particula καὶ expellenda locum sanare sibi visus est. Infinitivos ἀναιρεῖν, καταλείπειν e διαχειροτονίαν διδόναι pendere censet. Quod tamen lingvæ legibus repugnat; nec enim eadem est condicio loci Demosthenici, ad quem nos relegat, Timocr. § 25: μετὰ ταῦτα δ' ἂν χειροτονῆτε εἰσφέρειν κτλ. Sed noli temere corrigere. Breviloquentia quidem inest in verbis διαχ. τ. δ. καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν (sc. τοὺς νομοθέ-

Apparet igitur quarto a. Chr. n. sæculo comitiorum Atheniensium multitudinem ad iura constituenda parum valuisse. In propria enim legislatione nihil aliud populo in comitiis congregato relictum erat, nisi ut decerneret, utrum in legum corpore mutatio omnino fieret necne — quod si placuerat, licuit populo in ecclesiis rogationes suadere vel dissuadere — sciscendi autem leges ei adempta erat auctoritas. Proinde cave cum Tittmanno[1] δοκιμασίᾳ illi, quam Pollux populo ascribit[2], aliam atque eam ampliorem vim attribuas, ut sanctionem quandam populum novis legibus dedisse credas. Difficile autem est definitu, quam late officium et ius senatus in sollemni nomothesia patuerit. Nam partes quasdam senatui in nomothesia concessas esse, infitiari non licet. Testimonio enim Pollucis iam allato adiunge Tisameni psephisma de nomothetis eligendis, in quo hæc scripta leguntur (Andoc. de myst. § 81 sq.): τούς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν. — Demosth. Timocr. § 48: καίτοι χρῆν σ'ὦ Τιμόκρατες, εἰδότα τὸν νόμον τόνδ' ὃν ἀνέγνων, εἴ τι δίκαιον ἠβούλου πράττειν, πρῶτον μὲν πρόσοδον γράψασθαι πρὸς τὴν βουλήν, εἶτα τῷ δήμῳ διαλεχθῆναι κτλ. § 27 (ex Epicratis psephismate): . . . τοὺς δὲ νομοθέτας εἶναι ἕνα καὶ χιλίους ἐκ τῶν ὀμωμοκότων· συννομοθετεῖν δὲ καὶ βουλήν. Hic Schoemann[3] vocem συννομοθετεῖν in eam partem accepit, ut senatus nonnumquam nomothetarum consilio affuisse existimaret. Est sine dubio propter exiguitatem testimoniorum difficillimum de hac re aliquid pro certo affirmare; fieri igitur potest, ut interdum senatui locus in nomothetarum collegio datus sit; ordinarias vero has senatus partes fuisse, ut suspicantur et alii et Bake[4] et

τας ἐκέλευε) κτλ., neque post δήμῳ interpungendo plane tollitur, sed monendum est, oratorem coram multitudine huiusmodi rerum bene perita verba facere.

[1] Griech. Staatsverfass. p. 146 sqq.

[2] VIII, 101: τοὺς γὰρ νέους (sc. νόμους) ἐδοκίμαζεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ τὰ δικαστήρια.

[3] De com. p. 258. — Antiqu. iur. publ. p. 228.

[4] l. c. p. 39.

Lipsius[1], nullo pacto ut credam adduci possum[2]; potius credo nihil in hac re iuris senatum habuisse nisi ordinarium munus auctoritatem dandi[3].

Jam vero quæramus, quomodo actio παρανόμων attigerit illam nomothesiam, quam supra describere conati sumus.

Præscribit lex illa Timocratea, quam aliquoties iam commemoravimus, ut si quis, lege aliqua e ratarum numero sublata, aliam subrogaverit incommodam populo Atheniensium vel cui veterum legum contrariam, in eum accusationem instituere liceat secundum eam legem, si quis legem incommodam tulerit.

§ 33: ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων ἕτερον ἀντιθῇ μὴ ἐπιτήδειον τῷ δήμῳ τῷ 'Αθηναίων ἢ ἐναντίον τῶν κειμένων τῳ, τὰς γραφὰς εἶναι κατ' αὐτοῦ κατὰ τὸν νόμον ὃς κεῖται, ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον.

§ 18: . . . ἂν δέ τις τούτων ἓν παραβῇ τῷ βουλομένῳ δίδωσιν γράφεσθαι.

Perspicuum est huic actioni in thesmothetarum emendatione locum non fuisse, quia illic, ut vidimus, tantummodo supervacaneæ leges abrogabantur neque igitur erat, cui quis intenderet accusationem. In sollemni autem ἐπιχειροτονίᾳ locus accusationi fuit. Ipsis quidem legis verbis non nominatim dicitur, de quo accusationis genere agatur; omnes fere autem præter Lipsium persuasum habuere γραφὴν παρανόμων intelligendam esse. At enim apud Aristotelem hæc accusationis genera tamquam diversa nominari videntur. Quod quemadmodum explanandum sit, mox videro; interea sine ulla dubitatione contendere audeo nullas alias nisi actiones παρανόμων γραφάς illas, quæ in lege Timocr. nominantur, intelligendas esse. Ad quod probandum ante omnia causæ illæ Leptinea atque Timocratea in iudicium vocandæ sunt.

[1] Schömann, Griech. Alterth. I^4 p. 416 sq.

[2] vide infra.

[3] Quod ad locum illum [Xen.] Rep. Ath. III, 2 attinet: τὴν δὲ βουλὴν βουλεύεσθαι — — — πολλὰ δὲ περὶ νόμων θέσεως v. p. 59 sq.

Ac primum quidem de eo sæpe multumque disputatum est, apud quos iudices causa Leptinea acta esset. In qua re examinanda omnem de populo vel senatu cogitationem repudiandam esse luculenter demonstratur iam verbis illis ἄνδρες δικασταί, quibus eos, qui rem iudicaturi sint, orator alloquitur, quo autem nomine populus ipse senatusve ne iudicum quidem vicibus perfungens umquam appellatur. Restat igitur, ut aut in nomothetarum illo collegio aut in ordinario iudicio (Heliæa) causam peractam esse existimemus. Alterum illud commendari videtur primum eo quod de lege quadam dissolvenda agitur; in illa enim lege, quæ nomothesiæ ordinem præscribit, diserte cavetur, ne ulla rata lex abrogetur nisi apud nomothetas [1]. Deinde identidem orator aliam quandam legem commemorat, quam legi Leptineæ obrogat vel saltem subrogare in animo habet [2]; quin affirmare videtur Leptinea lege abrogata ipsius rogationem statim pro vera et rata lege habendam esse [3], quæ omnia eiusmodi sunt, ut ad nomothetas mentem ducant [4]. Adde quod orator diserte ad eam antiquam legem iudices relegat, quæ præscripsit, si qua lex incommoda visa esset, ut de ea abroganda ferre liceret, dummodo nova simul subrogaretur; vos, inquit, iubet antiqua lex meliorem eligere [5]. Quosnam alios intelligi ὑμᾶς orator voluit nisi ipsos illos nomothetas?

[1] Dem. Tomoer. § 33: τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα ἐὰν μὴ ἐν νομοθέταις.

[2] § 98: ἔφη γὰρ (sc. Λεπτίνης) ἐξαπάτης ἕνεκα παραγεγράφθαι τοῦτον τὸν νόμον, ἐὰν δ'ὃν αὐτὸς ἔθηκεν λυθῇ, τοῦτον οὐ τεθήσεσθαι. — § 136: ἀλλὰ κελεύετε τούτους τοὺς ἐροῦντας ὑπὲρ τοῦ νόμου, εἴ τινα τῶν εὑρημένων τὴν δωρειὰν ἀνάξιον εἶναί φασιν — — — γράφεσθαι κατὰ τὸν νόμον ὃν παρεισφέρομεν νῦν ἡμεῖς, ἢ θέντων ἡμῶν, ὥσπερ ἐγγυώμεθα καὶ φαμὲν θήσειν, ἢ θέντας αὐτούς, ὅταν πρῶτον γένωνται νομοθέται.

[3] § 99: ἐγὼ δ'ὅτι μὲν τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ τοῦ τούτου νόμου λυθέντος τὸν παρεισενεχθέντα κύριον εἶναι σαφῶς ὁ παλαιὸς κελεύει νόμος, καθ' ὃν οἱ θεσμοθέται τοῦτον ὑμῖν παρέγραψαν, ἐάσω κτλ.

[4] Vide supra p. 10.

[5] § 89: ὁ παλαιὸς ὃν οὗτος παρέβη νόμος οὕτως κελεύει νομοθετεῖν, γράφεσθαι μὲν ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρειν δ' αὐτὸν ἄλλον ὃν ἂν τιθῇ λύων ἐκεῖνον, ὑμᾶς δ' ἑλέσθαι τὸν κρείττω.

Sed tamen plura sunt, quæ in ordinario iudicio heliastico hanc causam actam esse statuere nos cogant. Ac primum quidem thesmothetas præsides in hac causa fuisse compluribus locis edocemur [1]; in nomothetarum autem consessu proedros eo munere functos esse constat [2]. Deinde agitur quidem de lege Leptinea abroganda, non autem, si attendimus, de nova sciscenda. Ita enim loquitur de nova sua lege orator, ut eam nondum vere latam esse statuere possimus. Velut cum spondet fore, ut lex ipsius ferretur, sive ipse tulisset, sive adversarii id fecissent, ubi primum creati essent nomothetæ [3], vix huius sponsionis rationem intelligere possumus nisi statuimus, ut recte monuit Schoemannus [4], legem illam nondum vere latam esse atque huius causæ

[1] Cfr § 98: ἃ δὲ πρὸς τοῖς θεσμοθέταις ἔλεγε (sc. Λεπτίνης) ταῦτ' ἴσως λέγων παράγειν ὑμᾶς ζητήσει. Quæ verba ad thesmothetarum litis instructionem pertinere certissimum est. Item § 99: ὁ παλαιὸς — — — νόμος, καθ ὃν οἱ θεσμοθέται τοῦτον ὑμῖν παρέγραψαν κτλ. — § 100: οἱ θεσμοθέται ταῦτα γραφόντων, ἐπὶ τούτοις τὸ πρᾶγμα γιγνέσθω.

[2] Cfr or. in Timocr. § 33. Argumentum quidem ex thesmothetarum in causa Leptinea mentione iniecta Westermannus sibi sumpsit (l. c. p. 54 sq.) ad id obtinendum, thesmothetas, non proedros in collegio nomothetarum præsides fuisse et eos in suffragia misisse. Verum aliunde quoque satis constat ut in comitiis, sic apud nomothetas proedros eorumque epistaten præsedisse (cfr Schoell. l. c. p. 112 sqq.). Etiam suffragandi modus idem erat utrisque; sublatis enim manibus suffragia ferebantur, cum in ordinario iudicio heliastico calculorum suffragium adhiberetur. Minime igitur mirum videtur, si auctor Lex. Rhet. Bekk. ecclesiam quandam consilium nomothetarum appellat I p. 282: νομοθέται. καὶ οἱ τοὺς νόμους εἰςηγούμενοι νομοθέται καλοῦνται καὶ ἐκκλησία τις 'Αθήνησι νομοθέται καλεῖται, οἳ τοὺς εἰςφερομένους ἐδοκίμαζον νόμους καὶ δι' ὧν οἱ ἀσύμφοροι ἐλύοντο. Atque hæc ipsa peculiaris nomothetarum ratio declarat, opinor, quo modo fieri potuerit, ut a nomothetarum decreto ad ordinarium heliasticum iudicium provocatio daretur, id quod Lipsium valde offendit, a iudicio ad iudicium provocare iuri attico alienum fuisse autumantem. (Gr. Alterth. p. 416 sq.).

[3] § 100: ἔπειτ' ἐγγυώμεθ' ἡμεῖς, ἐγώ, Φορμίων, ἄλλον εἴ τινα βούλεται θήσειν τὸν νόμον. — § 137: ἀλλὰ κελεύετε τούτους τοὺς ἐροῦντας ὑπὲρ τοῦ νόμου — — — γράφεσθαι κατὰ τὸν νόμον ὃν παρεισφέρομεν νῦν ἡμεῖς ἢ θέντων ἡμῶν, ὥσπερ ἐγγυώμεθα καὶ φαμὲν θήσειν, ἢ θέντας αὐτοὺς ὅταν πρῶτον γένωνται νομοθέται.

[4] De causa Leptinea = Op. ac. I p. 237 sqq.

iudices a nomothetis diversos fuisse. Etenim apud nomothetas alterius legis sanctio repudiationem simul alterius ferebat; futuri vero temporis verbi usus (θήσειν) ostendit de nomothetarum disceptatione nunc non agi. Cum igitur orator de lege sua loquitur tamquam si vere lata sit, id cum Wolfio[1], et Schoemanno[2] in eam partem accipiendum est, ut statuamus novam legem, quam orator sese laturum esse autumat, ascriptam esse legi Leptineæ, quo magis iudicum animi ad hanc repudiandam impellerentur. Meris igitur artificiis utitur orator, cum ita rem exponere vult quasi si constet Leptinea lege abrogata ipsius statim ratam fore[3], quod tamen argumentum ipse haud in magno discrimine ponit: ἐάσω, inquit, ἵνα μὴ περὶ τούτου τις ἀντιλέγῃ μοι.

At lex in Timocr. oratione servata vetat ullam legem ratam tolli nisi apud nomothetas; in hac vero oratione sine dubio de abroganda quadam lege, ut monuimus, agitur. Si heliastas iudices hac in causa fuisse arbitramur, quomodo tunc tam contrariæ res conciliantur? Wolfius[4] quidem eo modo rem expedire posse sibi visus est, ut diceret ad veterem legem abrogandam accedente post primum iudicium auctoritate nomothetarum opus fuisse. Atque similiter Schoemannus[5] statuit veteres leges, quæ iam diu receptæ essent longoque usu convaluissent, abrogari novisque commutari non nisi apud nomothetas potuisse, recentiores autem necdum usu confirmatas accusari in Heliæa et quo quisque voluisset tempore. Sed huiusmodi legum descriptio nemini placere potest; quamdiu enim n o v a m fuisse legem censemus, quando v e t u s fieri coepit? Neque in ea sententia Schoemannus mansit; intercedente enim Westermanno[6] in eam partem sententiam mutavit[7], ut statueret legem Leptineam propter interpositam accusationem ἄκυρον fuisse neque κειμένοις νόμοις accenseri potuisse; interceditur enim, ait, in causa Leptinea per γραφὴν παρανόμων legi recentissimæ, ante brevissimum

[1] Prolegg. in orat. Lept. (Dem. Dind. VI p. 683 sqq.).
[2] l. c. [3] § 99. [4] l. c. [5] De com. p. 280.
[6] l. c. p. 49 sqq.
[7] De causa Leptinea = Op. I p. 241.

tempus in comitiis contra vetus institutum perlatæ neque tamen propterea iam pro vera lege (κυρίῳ v. κειμένῳ) habendæ, sed pendenti adhuc, donec iudices quid ea futurum sit pronuntiaverint. Idem igitur intelligi vult Schoemannus νόμον κείμενον ac νόμον κύριον. Quod tamen ne minus recte statuat vereor. Nam vocibus, quæ sunt κύριος, κυριοῦν, κύρωσις, latior vis subicienda est; neque enim de iudicii heliastici solum, sed etiam de populi et de nomothetarum legum sanctione usurpantur. Velut de populi sanctione in Dem. orat. in Aristocr. hæc scripta leguntur § 14: ἡτοίμαστο δ'αὐτοῖς τοῦτο τὸ προβούλευμα καὶ προδιῴκητο, ἵν' εἰ πεισθείητ' ἐκ τῶν ὑποσχέσεων καὶ τῶν ἐλπίδων, ἃς ὑπέτειν' ὃ Αριστόμαχος, εὐθὺς ἐ π ι κ υ ρ ώ σ ε ι ε ν ὁ δῆμος κτλ. — § 18: ὧν μὲν τοίνυν ἕνεκ' ἐρρήθη τὸ προβούλευμα, ἵνα κ υ ρ ώ σ ε ι ε ν ὁ δῆμος ἐξαπατηθεὶς κτλ. — [Plut.] vit. X orat. 836: γράψαντος αὐτῷ Θρασυβούλου πολιτείαν — — — ὁ μὲν δῆμος ἐ κ ύ ρ ω σ ε τὴν δωρεάν, ἀπενεγκαμένου δ' Ἀρχίνου γραφὴν παρανόμων διὰ τὸ ἀπροβούλευτον εἰσαχθῆναι, ἑάλω τὸ φήφισμα[1]. De nomothetis dicitur or. in Timocr. § 33: ὁπότερον δ' ἂν χειροτονήσωσιν (sc. νόμον) οἱ νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι. Sæpissime autem huiusmodi locutiones usurpantur de heliastis, qui summam omnibus fere in rebus potestatem habebant. Quam igitur rogationem nomothetæ probaverant, ea erat κυρία; nec secius tamen ea κυρία dici poterat, quam populus comitiis sanxerat, licet prave rogata esset. Sin autem intra certum tempus[2] per actionem παρανόμων impugnabatur, statim ἄκυρος efficiebatur. Cfr [Dem.] in Aristog. II § 8: ὅταν τις ψηφίσματος ἢ νόμου γραφὴν ἀπενέγκῃ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ μὲν νόμος ἢ τὸ ψήφισμα ἄκυρόν ἐστιν. In quo notandum est hanc vocem, quæ est ἄκυρος, duplici esse sensu; aut enim significat id quod est auctoritate privatum[3] aut id quod nondum auc-

[1] Adde exempla, quale est Dem. or. in Everg. § 34: γενομένου τοίνυν τούτου τοῦ ψηφίσματος ἐν τῇ βουλῇ καὶ οὐδενὸς γραφομένου παρανόμων, ἀλλὰ κυρίου ὄντος κτλ.; hoc igitur loco de senatus sanctione agitur.
[2] V. de legg. p. 36.
[3] Cfr v. gr. Lept. § 68: ἄκυρόν τι ποιῆσαι τῶν ἐκείνῳ δοθέντων.

toritatem accepit. Cfr or. in Aristocr. § 88 sqq., ad quas explicandas scholiastes cum alia dicit tum monet (IX p. 717 locum Dind.): τὸ δὲ ἄκυρον διχῶς λέγεται. ἤτοι γὰρ τὸ παντελῶς ἀνῃρημένον καὶ διαγεγραμμένον, ἢ τὸ ὀφεῖλον μὲν κυρωθῆναι, οὐδέπω δὲ κυρωθέν.

Quæ quo modo in causam Leptineam conveniant, nunc videamus. Leptines ferendi ritum præscriptum migraverat; verisimillimum est legem eius psephismatis in modum in comitiis perlatam esse. Populus igitur rogationem sanxerat; lex κυρία erat. Nec tamen ideo erat νόμος κείμενος; licuit etiamnunc legem impugnare auctoritatemque eius rescindere, i. e. legem ἄκυρον reddere. Quod quidem negotium Bathippus quidam suscepit, Leptinæ litem intendendo eoque statim dilationem auctoritatis legis efficiendo. Res ad iudices deferri necesse erat. Obiit quidem Bathippus ante diem iudicii, sed alii successerunt accusationemque susceperunt[1]. Atque ita causa Leptinis iudicibus mandatur, apud quos decernendum est, utrum legi eius auctoritas reddenda sit necne[2]. Ergo lex eius a iudicibus, ad quos causa erat delata, sanctionem nondum acceperat necdum in numero κειμένων νόμων erat, quos in nomothetarum tantummodo collegio tollere licuit.

At enim e § 146 edocemur ad Leptineam legem defendendam syndicos creatos esse[3]; supra autem audivimus id syndicis (τοῖς συναπολογησομένοις τὸν δῆμον τοῖς νόμοις)

[1] Anon. arg. in Leptin. § 3: ἐγράψατο μὲν τὸ πρότερον Βάθιππος Λεπτίνην, ὃς ἀπέθανε πρὶν εἰσελθεῖν τὴν γραφήν — — — μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐπέστη κατήγορος Ἀψεφίων — — — καὶ Κτήσιππος κτλ. — V. p. 30 sqq.

[2] Cfr Lept. § 20: — — ἂν ὁ νόμος τεθῇ κτλ. — § 134: — — ὃ συμβήσεται διὰ τοῦ νόμου κυρίου γενομένου. — § 139: εἰ δὲ — — τὸν νόμον ποιήσετε κύριον κτλ. — Hoc loco alienum fortasse non est monere, Leptineam legem a iudicibus repudiatam esse, si Dionem Chrysostomum audimus, apud quem hæc exstant, Or. XXXI p. 256 sq. Arnim.: — — Λεπτίνης τις εἰσήνεγκε νόμον ὡς χρῆν τὰς ἀτελείας ἀφελέσθαι τοὺς ἔχοντας παρὰ τοῦ δήμου, δίχα τῶν ἀφ' Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, καὶ μηκέτι τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι διδόναι μηδενὶ τὴν δωρεὰν ταύτην. τί οὖν; ἔσθ' ὅπως παρεδέξαντο τὸν νόμον; οὐμενοῦν, ἀλλ' ἑάλω γραφῆς (γραφεὶς Cob., Reiske vult: παρανόμων γραφῆς).

[3] ᾕρηνται δὲ τῷ νόμῳ σύνδικοι καὶ μάλισθ' οἱ δεινοὶ λέγειν ἄνδρες κτλ.

mandatum fuisse, ut apud *nomothetas* patrocinium legum, de quibus abrogandis ferretur, susciperent[1]. Nonne igitur in nomothetarum collegio hanc causam peractam esse existimandum est? Et re vera responsio haud aperta et prompta est, si quidem nomothetas ullas in hac Leptinea causa partes habuisse negamus, id quod propter rationes iam allatas fieri non potest quin faciamus. Credideris fortasse duplici quadam defensione illos syndicos oneratos esse, ut et apud nomothetas et, si opus fuisset, in iudicio heliastico legum defensores existere eos oporteret. Attamen si hanc explicandi rationem probemus, inde sequatur syndicos apud nomothetas aliud, aliud in iudicio heliastico suadere coactos esse, id quod nullo pacto credere possumus. Nihil igitur nobis reliquum esse videtur, nisi ut statuamus diversos hos syndicos intelligendos esse, ad id creatos, ut legum illarum quidem iam perlatarum, sed quæ intra certum tempus ut vitiose rogatæ impugnatæ essent, causam reciperent.

Optimo igitur iure cum Wolfio, Schoemanno, aliis contendere licet hanc causam apud iudices heliasticos, actione quadam Leptini intentata, iudicatam esse.

Sed de eo fortasse quispiam credat acriorem controversiam existere posse, *quanam* actione lex Leptinea accusata sit. Quamquam quid magis consentaneum videtur quam de παρανόμων actione cogitare? At statuit Lipsius, Ber. d. K. Sächs. 1891 p. 48, in legibus actioni παρανόμων locum non esse factum; distinguere enim affirmavit Aristotelem inter γραφὰς παρανόμων atque eam accusationem, qua lex incommoda peteretur. Quare ad psephismata tantummodo impugnanda Athenienses actione παρανόμων usos esse censet[2]. Mutavit quidem postea sententiam suam in eam partem, ut contenderet, ad leges quoque impugnandas παρανόμων actionem intendere licuisse, præsertim cum ritus ferendi migratus esset; alia vero atque ea simillima actione eas leges accusatas esse, quæ aut incommodæ aut receptis legibus contrariæ visæ essent[3]. Neutrum tamen probari potest. Offendit

[1] p. 7. [2] V. supra p. 4.

[3] Griech. Alterth. p. 416.

quidem nonnihil quasi separata unius atque eiusdem — ut equidem credo — actionis mentio; de qua re v. p. 66 sqq. Verum in orat. in Timocratem habita Demosthenes sic disserit, ut fieri non possit, quin παρανόμων actionem eam litem interpretemur, qua incommodæ leges impugnatæ sint. Cfr enim § 153 sq.: τί γὰρ κωλύει, ὦ ἄνδρες, εἰ οὗτος χαίρων ἀπαλλάξει ὁ τοιοῦτον νόμον τιθείς, ἕτερον φανῆναι ἄλλο τι τῶν τῆς πόλεως ἰσχυροτάτων καταλύοντα νόμῳ καινῷ; ἐγὼ μὲν οἶμαι οὐδέν. ἀκούω δ' ἔγωγε καὶ τὸ πρότερον οὕτω καταλυθῆναι τὴν δημοκρατίαν, παρανόμων πρῶτον γραφῶν καταλυθεισῶν καὶ τῶν δικαστηρίων ἀκύρων γενομένων. Quo loco e nexu luculenter apparet litem παρανόμων Timocrati intentam esse. Et videmus παρανομίαν ipsam in hac γραφῇ magnam accusationis partem effecisse. Cfr § 19: — — παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει. —

§ 32: — — οὐ μόνον κατὰ τοῦτ' ἀδικεῖ εἰ παραβὰς τὸν χρόνον τὸν ἐκ τῶν νόμων — — ἀλλὰ καὶ κατ' ἐκεῖν' ὅτι πᾶσιν ἐναντίον εἰσενήνοχεν τοῖς οὖσι νόμοις κτλ. —

§ 39: ὅτι μὲν οὖν ἔνοχος τῇ γραφῇ καθέστηκεν, ἐναντίον εἰσενηνοχὼς τοῖς οὖσι νόμοις οἶμαι πάντας ὑμᾶς ᾐσθῆσθαι.

Quæ cum ita sint, mihi quidem liquet Timocratem γραφῆς παρανόμων telo petitum esse. Quodsi conceditur ita se habere, necesse est statuere eadem actione subnixos ad Leptineam quoque legem impugnandam Demosthenem sodalesque eius aggressos esse. Ad quod obtinendum satis sit hæc fere exempli gratia afferre:

Timocr. § 189: ἀλλ' ὡς ἐπιτήδειός ἐστι καὶ καλῶς ἔχων ὁ νόμος, τοῦτο δίδασκε· τοῦτο γάρ ἐσθ' ὑπὲρ οὐ σὺ μὲν εἰσενεγκεῖν φῄς, ἐγὼ δὲ γέγραμμαι τἀναντία φάσκων.

Lept. § 88: — — γράψαντας ἀντὶ τοῦδε (sc. τοῦ νόμου), ὃν οὐκ ἐπιτήδειον εἶναί φαμεν.

§ 95: ταῦτα μέν ἐσθ' ἃ τοῦ τούτου νόμου διώκομεν ὡς οὐκ ἐπιτήδεια. Cfr etiam p. 26.

Quis neget de una eademque causa in utraque actione agi? Atque cum orator Timocr. § 61 hoc modo loquitur: ἀλλ' ἴσως ἐγὼ μὲν, εἰ περὶ πάντων ἐρῶ, ἐξωσθήσομαι περὶ τοῦ μηδ' ἐπιτήδειον ὅλως ὑμῖν εἶναι τὸν νόμον εἰπεῖν. iam hæc verba

Lipsii sententiæ adversantur e loco illo or. Lept. § 83: νῦν οὐχ ὁ νόμος κρίνεται πότερ' ἔστ' ἐπιτήδειος ἢ οὔ efficere se putantis a παρανόμων actione Leptineam causam haud profectam esse[1].

Sed ut dubium non est leges vitiosas γραφῇ παρανόμων petitas esse, ita paullo accuratius examinantibus legem illam de actione παρανόμων in legibus usurpanda conceptam multa nobis existunt, quæ controversiam movere possint. Ac primum quidem Westermanno[2] aliisque prorsus obscurum visum est, cur in hac ipsa Timocratea lege ad aliam nescio quam legem delegaremur. Nempe exspectandum fuisse hoc ipso loco præscribi, quemadmodum in eos ageretur, qui incommodam tulissent legem. Quod tamen optime Schoell expedivit sagaciter statuens in corpore legum accusationes sub eorum nomine collectas esse, ad quos deferrentur. Atque ita se rem habere e Arist. Ἀθ. πολ. elucet: primum enim describitur, quæ causæ ad archontem (c. 56), deinde quæ ad regem (c. 57), tum quæ ad polemarchum (c. 58), postremo quæ ad thesmothetas (c. 59) deferendæ sint. Et quidem causas thesmothetarum enumerans hæc inter alia Aristoteles dicit: εἰσάγουσιν οὗτοι καὶ γραφὰς παρανόμων καὶ νόμον μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι. Ad hanc igitur legem in lege illa Timocratea delegamur.

Deinde aspectu primo mirum videtur quod præcipitur, ut eo nomine lex quædam accusetur, quod οὐκ ἐπιτήδειος sit. Quomodo enim qui nova lege ferenda antiquis legibus obrogaverat continuo ea lege postulari poterat, quæ legem οὐκ ἐπιτήδειον ferre vetuit? Poteratne omnino nova lex, sive tantummodo incommoda erat sive antiquis legibus obrogata et contra ritum sollemnem ferendi lata erat, uno atque eodem οὐκ ἐπιτηδείου nomine impugnari? Absurdum hoc Westermanno videtur. Verba eius exscribere libet. Ait enim l. c.: "das Einbringen eines dem Staate nachtheiligen Gesetzes war nur ein besonderer Fall; gab es daher für diesen ein besonderes Gesetz, so möchten auch für alle übrigen

[1] l. c. p. 416 adn. 6.
[2] l. c. p. 59 sq.

besonderen Fälle besondere Gesetze erforderlich gewesen sein. Aber nein, unser Verfasser will ja das Gesetz, auf welches er verweist, ἐάν τις μὴ ἐπ. θῇ ν., ausser auf diesen Fall auch noch auf den angewendet wissen, wenn einer ein Gesetz giebt, das einem anderen bestehenden zuwiderläuft. Als ob das nicht zwei ihrer Natur nach ganz verschiedene Fälle wären, die auch vom Redner selbst § 61, § 66, § 68 sehr genau geschieden werden; denn ein Gesetz kann einem anderen zuwiderlaufen und doch an sich ein äusserst zweckmässiges und vortheilhaftes sein."

Hæc quidem Westermannus. Neque tamen ratiocinationibus suis probare potest spuriam esse hanc legis partem; optime enim verba legis in Leptineam et Timocrateam orationes quadrant. Nam etsi ab omni parte leges, quam tulerant Leptines et Timocrates, ut vitiosæ impugnantur, illo tamen universo nomine in accusatorio libello postulatas esse clarissime docent oratoris verba. Conferamus Lept. § 88: ἀναγνώσεται τὸν νόμον ὑμῖν ὃν παρεισφέρομεν γράψαντες ἀντὶ τοῦδε, ὃν οὐκ ἐπιτήδειον εἶναί φαμεν. —

§ 95: ταῦτα μέν ἐσθ' ἃ τοῦ τούτου νόμου διώκομεν ὡς οὐκ ἐπιτήδεια. —

§ 153: τοὺς δὴ συνεροῦντας νόμῳ καὶ διδάξοντας ὑμᾶς ὡς ἐπιτήδειός ἐστιν κτλ. —

Timocr. § 189: ἀλλ' ὡς ἐπιτήδειός ἐστι καὶ καλῶς ἔχων ὁ νόμος, τοῦτο δίδασκε· τοῦτο γάρ ἐσθ' ὑπὲρ οὗ σὺ μὲν εἰσενεγκεῖν φῄς, ἐγὼ δὲ γέγραμμαι τἀναντία φάσκων, κρῖναι δὲ προσήκει τουτουσί. —

Quod etiam e Lept. § 83 oblique colligi potest: οὐ σκέψεσθ' ὦ ἀ. 'Αθ. καὶ λογιεῖσθε, ὅτι νῦν οὐχ ὁ νόμος κρίνεται πότερ' ἔστ' ἐπιτήδειος ἢ οὔ, ἀλλ' ὑμεῖς δοκιμάζεσθ' εἴτ' ἐπιτήδειοι πάσχειν ἐστ' εὖ τὸν λοιπὸν χρόνον εἴτε μή; —

Aesch. in Tim. § 34: ἀναγνώσεται οὖν ὑμῖν — — — τὸν περὶ τῆς προεδρίας τῶν φυλῶν νόμον, ὃν Τίμαρχος οὑτοσὶ καὶ ἕτεροι — — — γεγραμμένοι εἰσὶ μὴ ἐπιτήδειον εἶναι[1]. —

[1] Dem. in Tim. § 138: Εὔδημον τὸν Κυδαθηναιᾶ, νόμον δόξαντα θεῖναι οὐκ ἐπιτήδειον — — — ἀπεκτείνατε. — Cfr § 212.

Nihilominus autem sub illo nomine Demosthenes, ut monui, omnia legum vitia impugnat atque ita, ut dubitari nequeat, quin id optimo iure facere sibi videatur:

Timocr. § 19: πρῶτον μὲν οὖν, ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον τοῦτ' ἐρῶ, ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει. —

§ 32: ὅτι δ' οὐ μόνον κατὰ τοῦτ' ἀδικεῖ, εἰ παραβὰς τὸν χρόνον τὸν ἐκ τῶν νόμων — — — ἀλλὰ καὶ κατ' ἐκεῖν' ὅτι πᾶσιν ἐναντίον εἰσενήνοχεν τοῖς οὖσι νόμοις, αὐτίκα δὴ μάλ' ἀκριβῶς μαθήσεσθε. —

§ 61: ἀλλ' ἴσως ἐγὼ μέν, εἰ περὶ πάντων ἐρῶ, ἐξωσθήσομαι περὶ τοῦ μηδ' ἐπιτήδειον ὅλως ὑμῖν εἶναι τὸν νόμον εἰπεῖν, ὑμῖν δ' ὁμοίως ἔνοχος φανεῖται τῇ γραφῇ, καὶ εἰ ἑνὶ τῶν ὄντων νόμων ἐναντίος ἐστίν. Sed orator est paratus de hac quoque accusationis parte disputare et ostendere legem summæ reipublicæ calamitati esse (l. c. ὡς μεγάλ' ἂν βλάπτοι κύριος ὢν τὴν πόλιν).

Summa denique orationis Timocr. est Timocratem omni ex parte actioni obnoxium esse; tria enim illa vitia rogationem eius habere Demosthenes affirmat, primum quod ritum ferendi constitutum migraverit, alterum quod legibus antiquis obrogaverit, tertium quod ea rogata sint, quæ detrimento essent reipublicæ:

§ 108: ἔφην γὰρ αὐτὸν ἐξελέγξειν κατὰ πάντ' ἔνοχον ὄντα τῇ γραφῇ, πρῶτον μὲν παρὰ τοὺς νόμους νομοθετοῦντα, δεύτερον δ' ὑπεναντία τοῖς οὖσι νόμοις γεγραφότα, τρίτον δὲ τοιαῦτα, δι' ὧν βλάπτει τήν πόλιν.

Neque tamen *una* de omnibus legis cuiuslibet vitiis lex erat. Cfr Lept. § 96: ἑτέρου κελεύοντος νόμου καὶ κατ' αὐτὸ τοῦτο ἔνοχον εἶναι τῇ γραφῇ, ἐὰν ἐναντίος ᾖ τοῖς πρότερον κειμένοις νόμοις.

Ex iis quæ attulimus perspicuum est vocem ἐπιτηδείου nunc ampliore, nunc magis restricta notione usurpatam esse. Quamobrem Schoellio assentior statuenti verba illa ἐὰν μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον tituli loco adhiberi potuisse. Sub quo titulo sine dubio collectæ erant leges eæ, quæ separatim conceptæ singula vitiorum genera legum latarum enumerabant, quorum prætextu actione παρανόμων uso cuilibet roga-

torem in ius vocare liceret. Schoellius quidem ita rem accipit, ut contendat sub eo titulo ei quidem legi locum factum esse, quæ de γραφῇ παρανόμων ad obrogationum ultionem usurpanda caveret, non autem ei legi, quæ violatorem ritus sollemnis nomothesiæ huic accusationi obnoxium faceret. Affirmat enim hanc posteriorem legem, quippe quæ ad psephismata æque pertinuerit atque ad leges, quæ dicuntur, ibi locum habuisse, ubi de actione παρανόμων in psephismatibus adhibenda caveretur[1]. Atqui animadvertendum est, non minus in psephismatibus quam in legibus eo nomine hanc γραφήν intendere licuisse, si quis legibus antiquis obrogavisset; neque enim admitti potest sententia Madvigii ad ritum tantummodo vitiosum ferendi hanc accusationem institutam esse. Exspectandum igitur erat — si quidem Schoellii ratiocinationem probemus — etiam priorem illam legem, quæ ruptori ritus ferendi litem intendi iussit, legibus de actione παρανόμων in psephismatibus utenda adiectam esse. Cur vero in lege illa de γραφῇ παρανόμων, Timocr. § 33, non diserte tertia accusationis pars enumeratur, inde licet explicare, si explicatione opus est, quod qui παρὰ τοὺς νόμους legem tulerat, id est qui ritum constitutum legum ferendarum tollendarumve læserat, simul antiquis legibus obrogaverat. Supervacaneum igitur erat eum locum hac in lege nominatim commemorare; satis habuit legislator eo delegasse, ubi copiosius de actione παρανόμων cautum esset.

Sed operæ pretium est audire, quid de hac re sentiat Thumser. Ait enim: "nur Wünsche auszusprechen und die mangelhaften Theile der Gesetzgebung zu bezeichnen war daher der Zweck der Revision derselben, der ἐπιχειροτονία τῶν νόμων, die regelmässig in der ersten Versammlung jedes Jahres abgehalten ward und bei deren Einleitung die Thesmotheten thätig gewesen zu sein scheinen"[2]. Ad quæ laudat illa Aristotelis verba Ἀθ. πολ. c. 59: εἰσάγουσιν οὗτοι καὶ γραφὰς παρανόμων καὶ νόμον μὴ ἐπιτήδειον εἶναι. Et alio loco hæc dicit: "bei Demosth. a. a. O. (sc. Timocr. § 33) sind überhaupt die Epicheirotonie, die Diorthosis und die Paranomonklage nicht genau von einander geschieden"[1]. Aristotelis igitur verba: καὶ νόμον μὴ ἐπιτήδειον εἶναι (vel potius θεῖναι) et verba Timocr. or. § 33: ἐὰν δέ τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον, si Thumserum audimus, ad thesmothetarum in ἐπιχειροτονίᾳ munus nescio quod referenda sunt. Sed de tali thesmothetarum officio nihil novimus, nec satis perspicere valeo, quid archontibus in sollemni epichirotonia negoti esse potuerit, nisi forte ad idem tempus διόρθωσιν referimus, quam tamen Thumser ipse ab epichirotonia distinguit[2]. Præterea hoc loco agitur de causis, quæ ad thesmothetas deferendæ atque ab iis iudicio heliastico mandandæ sunt. Minime præterea Thumseri sententia toti orationum Timocrateæ et Leptineæ conformationi convenit, quæ ut iam admonuimus haud dubie in actione παρανόμων habitæ sunt. Accurate inter tria illa ἐπιχειροτονίαν, γραφὴν παρανόμων, διόρθωσιν distinctum esse, etiam e sequentibus, opinor, apparebit.

[1] l. c. p. 139: "der Fall, dass ein Vorschlag ohne Beobachtung der gesetzlich vorgeschriebenen Formen und Bedingungen (παρὰ τοὺς νόμους) eingebracht wird, deckt sich mit der Begründung der Paranomenklage bei den Psephismen und war vermutlich bei dieser untergebracht."

[2] Staatsaltert. p. 527.

Quin igitur lege cautum fuerit, ut ea quoque, quæ inutilia, reipublicæ saluti contraria, iniusta, iniqua in lege lata reperta essent per γραφὴν παρανόμων impugnare liceret, ex iis quæ exposuimus in dubium vocari non potest. Nec tamen in legibus modo hoc valet, sed etiam in psephismatibus. Nam quæ de ratione *legum* vitia impugnandi diximus, in *psephismata* quoque transferenda sunt. De qua re vide quæ infra p. 66 sqq. exposuimus.

His fere institutis Demosthenis ætate Athenienses ne leges temere acciperentur tollerenturve cavere studuerunt. In quorum propria vi ponderanda et certis, quoad fieri poterit, finibus describenda iam versabitur disputatio nostra. Ac primum quidem quamnam inter actionem παρανόμων et

[1] l. c. p. 531. [2] l. c. p. 530.

epichirotoniam rationem intercessisse putandum est? Supra quidem audivimus Schoemannum in libro illo, quem de comitiis Atheniensum conscripsit, hoc statuisse discrimen, quod iam diu receptas leges non nisi apud nomothetas atque id statuto tempore abrogari licuisse, recentiores vero necdum usu confirmatas in Heliæa et quo quisque voluisset tempore [1]. Quod tamen haudquaquam in' universum statuendum esse monuimus. Iam vero Neubauer, qui illi Schoemanni legum descriptioni optimo iure adversatur, sic existimat quæcunque lex fuerit lata vel per epichirotoniam vel per actionem παρανόμων abrogari potuisse; hoc tamen discrimen intercedere, quod epichirotonia tantummodo ad legis *argumentum* spectaverit, actio autem παρανόμων ad *ferendi rationem* [2]. At etiam in actione παρανόμων argumentum et vim legis cuiuslibet inprimis impugnata esse iam supra ostendimus [3]. Alia igitur rei explicandæ via ingredienda est; statuendum enim est, si quis rogationi cuivis per γραφὴν παρανόμων intercedere voluisset, id intra certum e rogatione lata tempus fieri necesse fuisse. Ad quod demonstrandum primum Leptinea illa causa utamur. Leptines igitur, ut vidimus, rogatione iam perlata, per γραφὴν παρανόμων reus factus est [4]. Iam satis constat causam Leptinis in iudicio peractam esse anno minimum post rogationem latam præterlapso et Leptinem ipsum de reis exemptum esse; lex enim erat, ut ex anonymi argumento edocemur, ut lator legis psephismatisve anno exacto indemnis fieret; licebat autem nihilominus leges ipsas etiam post annum præterlapsum impugnare, quamvis auctores impunes essent [5]. Quæ verba si universe accipiamus necesse sit statuere omnes leges quovis tempore huic accusationis for-

[1] v. supra p. 20.

[2] l. c. p. 8.

[3] p. 25 sqq.

[4] v. supra p. 22 sqq.

[5] Anon. argum. § 3: νόμος γὰρ ἦν τὸν γράψαντα νόμον ἢ ψήφισμα μετὰ ἐνιαυτὸν μὴ εἶναι ὑπεύθυνον. ὅμως ἐπειδὴ καὶ οὕτω κατὰ τῶν νόμων ἐξῆν ποιεῖσθαι τὰς κατηγορίας, κἂν οἱ γράψαντες ἔξω κινδύνων ὦσι, μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐπέστη κατήγορος Ἀψεφίων κτλ.

mulæ obnoxias fuisse, i. e. contendere, numquam leges Demosthenis temporibus latas κειμένοις νόμοις adnumeratas fuisse, id quod prorsus absurdum est. Sed apparet anonymi verba ad Leptineam proxime causam spectare. Cuius causæ peculiaris ratio est; constat quidem anno præterito impugnatam esse, sed argum. edocemur Bathippum anteȧ actionem παρανόμων auctori rogationis intendisse atque ita dilationem legis effecisse. Qui cum ante diem iudicii obiisset et Leptines post exactum annum indemnis factus esset, lex, quippe quæ in suspenso esset a quolibet impugnari potuit [1].

Iam vero in aliam quandam causam inquiramus, Ctesiphontis dico, quam ex actione παρανόμων profectam pluribus demum annis post intercessionem factam in iudicio peractam esse satis constat. Cuius causæ hæc fere ratio est. Demosthenes in annum Ol. 110/4 = 337/6 curator muris reficiendis (τειχοποιός) et quæstor theatralis (ἐπὶ τῷ θεωρικῷ) electus erat. Quibus muneribus cum egregie functus esset, Ctesiphon rogationem tulit, ut corona aurea Dionysiis magnis in theatro donaretur, mense igitur Elaphebolione eiusdem Olymp. anni. Cui rogationi auctoritatem suam senatus dedit [2]. Sed Dionysiis nondum actis cum de rogatione Ctesiphontis populus suffragia initurus esset, adversarius exstitit Aeschines et hypomosia facta dilationem rogationis effecit [3]. Atque ita prohibuit, quominus pro Demosthenis causa in comitiis verba fierent [4].

Nunc constat accusationem ipsam ante mortem Philippi regis, qui initio Ol. 111/1 = 336/5 interemptus est, ad thesmothetas esse delatam (Aesch. in Ctesiph. § 219: ἀπη-

[1] Or. § 144: διὰ γὰρ τὸ τελευτῆσαι Βάθιππον τὸν τουτουὶ πατέρ' Ἀψεφίωνος, ὃς αὐτὸν ἔτ' ὄνθ' ὑπεύθυνον ἐγράψατο, ἐξῆλθον οἱ χρόνοι καὶ νῦν περὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου πᾶς ἐσθ' ὁ λόγος, τούτῳ δ' οὐδείς ἐστιν κίνδυνος. Cfr anon. argum. § 3.

[2] Quare προβούλευμα identidem appellatur rogatio.

[3] Anon. argum. § 3: εἰσαγομένου τοίνυν καὶ εἰς τὸν δῆμον τοῦ προβουλεύματος, ἐφίσταται τοῦ Κτησιφῶντος κατήγορος Αἰσχίνης κτλ.

[4] Huc spectat illud ἀφαιρεῖσθαι τὸ προσελθεῖν τῷ δήμῳ καὶ λόγου τυχεῖν (de cor. § 12). V. Schoem., Neue Jahrb. f. Philol. XCIX p. 755 sqq.

νέχθη γὰρ ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφή .... ἔτι Φιλίππου ζῶντος, πρὶν Ἀλέξανδρον εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῆναι). Sed permirum accidit, quod aliquot annis post hæc lis in iudicium deducta est; elucet enim ex oratione Aeschinis initio Ol. 112/3 = 330/29 demum causam oratam esse (§ 132); ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεύς ...... νῦν οὐ περὶ τοῦ κύριος ἑτέρων εἶναι ἀγωνίζεται, ἀλλ' ἤδη περὶ τῆς τοῦ σώματος σωτηρίας [1]. — § 254: ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίγνεσθαι καὶ τὸ συνέδριον τὸ τῶν Ἑλλήνων συλλέγεσθαι [2]. Atqui apparet adhuc Ctesiphontem ipsum actioni παρανόμων obnoxium fuisse. Quod ni ita res se haberet, oratio Aeschinis inscripta esset πρὸς Κτησιφῶντα, non κατὰ Κτησιφῶντος, ut illa contra Leptinem oratio habita non κατὰ Λεπτίνου, sed πρὸς Λεπτίνην inscribitur [3]. Atque e oratione Aeschinea edocemur Ctesiphonti, si causa cecidisset, poenam solvendam fuisse [4]. Qui igitur fieri potuit, ut adhuc culpam rogationis suæ præstaret? Nam supra audivimus post annum exactum rogatorem ipsum rogationis culpam non sustinuisse. Existimandumne est, denuo Ctesiphontem rogationem tulisse denuoque ei ab Aeschine actionem παρανόμων intentam esse? Non defuerunt, qui huiusmodi explicandi rationem amplecterentur; hoc enim modo ratiocinantur Schæfer [5], Hug [6], Weidner [7], alii. Nam cum cautum esset, ne senatus consulta ultra eum annum valerent, quo decreta essent [8], inde

[1] Ergo nondum Athenas nuntius allatus erat de morte Darii, qui huius anni Hecatombæone mense obiit. Niese Gesch. der griech. u. maked. Staaten I p. 102.

[2] Notum est in tertium Olymp. annum Pythia incidisse atque in mensem Bucatium, qui Metagitnioni attico mensi respondet. Stengel, Die griech. Sacralaltert. p. 145.

[3] Cfr de hoc usu prep. κατά et πρός Taylori Prolegg. ad orat. adv. Eubul. (Dem. Dind. VII p. 1333).

[4] §§ 197, 210.

[5] Demosthenes u. seine Zeit. III p. 207 sq.

[6] Der Entscheidungsproc. zwisch. Aesch. u. Dem. p. 8.

[7] Aeschines' Rede gegen Ktesiphon p. 11.

[8] Dem. in Aristocr. § 92: ὁ νόμος ἐπέτεια κελεύει τὰ τῆς βουλῆς

necessario sequi existimaverunt renovatum esse senatus consultum iteratamque Aeschinis accusationem. Quod quidem factum esse censent initio Ol. 112/3 = 330/29. In quo tamen mihi quidem dubium controversumque non est, quin errent illi viri docti. Aeschines enim senatusconsulto nondum irrito intercessionem fecerat atque ita dilationem rogationis distulerat; heliastarum iudicio mandanda erat causa universa, rogatio Ctesiphontis, probuleuma senatus, γραφή Aeschinis. Etenim si hanc Ctesiphontis causam cum illa Aristocratis contuleris, dicto illo Demosthenis et auctoris inc. lex. rhet. Bekk. nullam aliam vim subiicies nisi eam ut statuas, populo semper eum senatum probuleumata proposuisse, a quo decreta essent. Quare si ponimus quempiam sub finem anni consulto senatu rogationem quamlibet tulisse, non licuit vel saltem supervacaneum fuit proximo anno id senatus probuleuma impugnare, quia per se perspicuum erat denuo senatum consulendum esse, priusquam populus de rogatione in suffragium mitti posset. Quamobrem in causa Ctesiphontis nihil ex probuleumatos vi naturaque hauriri potest, quod illam de renovata lite sententiam commendet. Sed nonnulla sunt, quæ ei opinioni plane obstent. Bærwinkel enim recte animadvertit ipsas orationes perlustranti nihil dubii restare posse, quin nec de novo decreto, nec de nova lite cogitandum sit, et dubium saltem videri dicit, num licuerit Ctesiphonti repetere rogationem, Aeschini novam intendere litem, priusquam priorem de eadem re instructam persecutus esset [1].

Quæ cum ita sint, alia huius rei explicandæ rationem reperiamus necesse est. Atque aliam reperire sibi visi sunt viri docti. Velut Bærwinkel ideo ipsi reo periculum impendisse censet, quia instructa esset lis ab Aeschine paulo post intercessionem factam, quo tempore Ctesiphon rogationem suam nondum præstare desiisset [2]. Atque eodem

εἶναι ψηφίσματα. Anecd. Bekk. I p. 289: προβούλευμα· ... τὸ δὲ προβούλευμα κύριον ἦν ἄχρι ἐνιαυτοῦ, μεθ' ὃ ἄκυρον ἐγένετο.

[1] de lite Ctesiphontea p. 14.

[2] l. c. p. 13.

fere modo Lipsius argumentatur[1]. Sed quidni credamus etiam Bathippum antequam obiret, Leptini litem ipsam intendisse? Certe constat — id quod Lipsius concedit[2] — Bathippum Leptineæ legi statim, id est, Leptine nondum ex culpa exempto, intercessisse; ceterum nihil reperitur, cur statuamus intra annum ab intercessione facta præteritum accusationem ipsam ad thesmothetas deferri oportuisse. Et verum quidem est Apsephionem et Ctesippum anno præterito accusatores exstitisse, sed monendum est pendentem tantummodo accusationem eos recepisse, non novam instruxisse litem.

Sed ad rem recte accipiendam necesse nobis est ad illam causam Leptineam redire denuoque scrutari, quid sibi velint anonymi illa verba: νόμος ἦν τὸν γράψαντα νόμον ἢ ψήφισμα μετ' ἐνιαυτὸν μὴ εἶναι ὑπεύθυνον. De quibus Lipsius hæc ait: "und zwar musste sie (die γρ. παρ.) innerhalb eines Jahres von dem Tage an, da der Vorschlag gemacht oder angenommen war, anhängig gemacht werden, sobald die Person dessen verfolgt werden sollte, von dem der Vorschlag ausgegangen war"[3]. Apparet rem in interpretatione verborum μετ' ἐνιαυτόν verti. De qua libenter audiverim, quomodo Lipsius illud 'da der Vorschlag gemacht oder angenommen war' intellectum velit. *Alterumne* tantummodo præscriptum esse censet, atque *utrum* fuerit præscriptum diiudicari posse dubitat? An hoc dicit nunc a latæ, nunc a perlatæ rogationis tempore rogatorem per annum culpam sustinuisse? Mihi quidem nulla controversia videtur esse, quin rogationis culpa a perferendi tempore ducta sit; necesse est verbis anonymi hæc vis subiiciatur, sin minus, omnis nobis in hac re prospectus adimitur. Eam igitur ob causam Ctesiphon anno 330 adhuc reus erat, quia ante populi suffragiorum lationem Aeschines accusator exstiterat; Leptines vero anno præterito e culpa exemptus erat, ideo quod post perlatam demum rogationem παρανόμων actionis

[1] Att. Process I p. 429 et adn. 672.
[2] l. c. p. 436 adn. 695.
[3] l. c. p. 429.

telo Bathippus eum adortus erat. Atque in universum statuendum est eum, cuius rogatio per hanc actionem ante populi suffragia impugnata esset, usque ad iudicii diem, nisi forte rogationem revocasset, culpam rogationis sustinuisse, non autem eum, cuius iam perlatam rogationem adversarius quidam in crimen παρανομίας vocavisset.

Constat igitur anno post rogationem perlatam præterito rogationis cuiuslibet latorem non amplius obnoxium γραφῇ παρανόμων fuisse. Iam quæritur, num post id tempus rogationi ipsi intercedere licuerit, ut sibi persuasum habent v. gr. Bærwinkel[1], Gilbert[2]. Quod quidem in legibus saltem prorsus absurdum videtur, quas si, ut iam admonuimus, quovis tempore impugnare licuisset, numquam κειμένοις νόμοις adnumerari potuerunt. Et si ab eo discesseris, iam aliam ob causam suspicari poteris huiusmodi intercessionem in legibus saltem latis angustioribus finibus circumscriptam fuisse. Etenim existimandum est hoc spectavisse Athenienses in lege illa de γραφῇ παρανόμων scribenda, ut semper in legis malæ rogatorem animadverti posset, antequam culpam præstare desiisset. Quod fieri non potuisset, si iisdem terminis, quibus culpa rogatorum, intercessio adversariorum terminata esset. Et re vera hæc ratiocinatio confirmatur testimonio quodam Hermogenis, haud contemnendo, quia ex antiquis fontibus fluxisse videtur. Ait enim[3] τὸν ἀντιλέγοντα νόμῳ εἴσω τῶν τριάκοντα τοῦ κυρωθῆναι ἀντιλέγειν[4], μετὰ ταῦτα δὲ μὴ ἐξέστω. πρεσβεύοντος τοῦ πένητος, ὁ πλούσιος, ἐχθρὸς ὤν, εἰσήνεγκε νόμον τὸν εἴσω πέντε ταλάντων οὐσίαν κεκτημένον μὴ πολιτεύεσθαι μηδὲ λέγειν. ἐπανῆκε μετὰ τὰς τριάκοντα ὁ πένης καὶ ἀντιλέγειν βούλεται τῷ νόμῳ. ἡ προτέρα ζήτησις κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν γίνεται, πότε καὶ τίσιν εἴσω τῶν τριάκοντα προστάττει

[1] l. c. p. 13.
[2] Hdb. etc. I p. 336.
[3] περὶ τῶν στάσ. (Walz, Rhet. Gr. III p. 52 = Spengel, Rhet. Gr. II p. 166).
[4] τοῦ κυρωθῆναι ἀντιλέγειν pr. M., ἡμερῶν δέον ἀντιλέγειν πρὶν τοῦ (πρὶν οὗ Schol.) κυρωθῆναι plerique.

ἀντιλέγειν ὁ νόμος κτλ. Ergo statuendum est intra triginta dies legi perlatæ intercedere necesse fuisse.

Summa denique eorum, quæ de hac re exposuimus, hæc est. Si quis cui rogationi ante populi nomothetarumve suffragium intercesserat, rogator, quantum perspici licet, non ante culpam sustinere desinebat quam causa in iudicio peracta erat, licet iudicium post complures demum annos fieret. Sin autem post suffragia lata intercesserat — quod quidem intra triginta dies in legibus fieri necesse erat, sin minus lex in numerum κειμένων νόμων *referebatur — anno circumacto rogator indemnis fiebat, ipsam autem rogationem nihilominus impugnare licebat, si quidem antea intercessio facta erat.*

Sed id dubitationem habere potest, utrum legibus latis ante diem iudicii nomothetarum vel saltem in ipso eorum conventu an postea demum per hanc accusationem intercedere licuerit. Quod quidem Schoemanno dubium non erat; statuit enim huiusmodi intercessionem in quovis deliberationis quasi gradu fieri potuisse [1]. In quo tamen Bakium adversarium nactus est, qui negavit in nova lege lata ὑπωμοσίαν ullam usurpatam esse; auctorem vero ipsum legis alicuius cuilibet γραφῇ παρανόμων fulto in ius licuisse vocare [2]. Nempe Bakius ita vim ὑπωμοσίας accepit, ut affirmaret eam a *reo* ad comperendinandam causam interpositam esse, non ab actore, id est ab eo, qui legem in iudicium adducturus esset; ideo coactus est constantiæ causa statuere ne psephismatibus quidem per hypomosiam intercessum esse [3]. Nec tamen dubium est, quin Bakium "vera ὑπωμοσίας indoles et consilium" effugerit [4].

Sed alii quoque, Schoellium secuti, in eam inclinant sententiam, per hanc intercessionem nomothesiæ sollemnem

[1] v. supra p. 2.
[2] v. supra p. 4.
[3] v. supra p. 2.
[4] Cfr Lips. Att. Process I p. 433 sqq., II p. 908 sqq.

ordinem perturbare non fuisse licitum [1]. Quorum tamen argumenta mihi quidem nequaquam tam firma videntur, ut in ea sententia acquiescere possim. Quare denuo hanc rem excutiamus.

Ac primum quidem collatione intercessionis in psephismatibus adhibita utamur; nam hic quoque diversæ de intercessionis vi sententiæ prolatæ sunt.

Apud Xenophontem narratur, Hell. I, 7, iudicium illorum prætorum, qui ad Arginusas naufragos colligere prætermiserant. Quorum causa non in iudicio heliastico, sed in ecclesia ipsa acta est. In qua cum Callixenus rogationem tulisset, auctoritate senatus comprobatam, ut de omnibus una suffragium ferretur, Euryptolemus aliique obsistendum censuerunt et Callixenum reum postulaverunt hanc ei actionem intendendo (§ 12: τὸν δὲ Καλλίξενον προσεκαλέσαντο [2] παράνομα φάσκοντες συγγεγραφέναι Εὐρυπτόλεμός τε ὁ Πεισιάνακτος καὶ ἄλλοι τινές). Neque in suffragium populus mitti potuit, antequam adversarii Callixenum missum facere coacti essent.

Huiusmodi intercessionem Aeschines quoque in comitiis fecit, antequam suffragiis populi rogatio Ctesiphontis permitteretur [3].

Et eadem fere est ratio causæ Aristocrateæ [4]. Certe constat Euthyclis intercessionem suffragia populi de rogatione Aristocratis lata præcessisse [5]. Nec tamen liquet, utrum in comitiis ipsis intercessio facta sit an ante comitiorum diem. Sed nihil est, quod cogat nos statuere Euthyclem coram populo ipso denuntiasse se litem Aristocrati intensurum esse, ac forsitan verum viderit Weber statuendo eum actione παρανόμων rogationem impugnasse, libello ad

[1] v. supra p. 3.
[2] Codd. προεκαλέσαντο, quod emendavit Morus. Cfr Harpocr. v. πρόσκλησις · ἡ εἰς δικαστήριον κλῆσις, καὶ προσκαλέσασθαι, τὸ παραγγέλλειν εἰς δίκην (προσκαλέσαι Suidas).
[3] v. supra p. 31.
[4] v. infra p. 77 sqq.
[5] cfr §§ 14, 18, 92.

magistratus constitutos delato, antequam ad populum lata esset[1]. Ceterum frequentem usum hypomosiæ in comitiis fuisse suspicari possumus. Nam id vel ex his Aristophanis verbis eruere licet[2]:

> ἐνταῦθα νῦν κάθησο καταπεπλασμένος,
> ἵν' ὑπομνύμενον[3] παύσω σε τῆς ἐκκλησίας[4].

Constat igitur psephismata etsi nondum populi suffragiis subiecta erant, i. e. tantummodo προβουλεύματα, a quovis intercessione facta accusari potuisse. Nec tamen verisimile est in ipso senatu intercedendi potestatem factam esse. Quod quidem Hermann[5] contendit et confirmari censuit loco illo [Dem.] in Euerg. § 34: γενομένου τοίνυν τούτου τοῦ ψηφίσματος ἐν τῇ βουλῇ καὶ οὐδενὸς γραφομένου παρανόμων, ἀλλὰ κυρίου ὄντος. Sed, ut recte monet Thumser, hoc loco de psephismate senatus, non de probuleumate agitur. Habet eandem fere condicionem actio illa παρανόμων, quam Leogoras, pater Andocidis, Speusippo cuidam intentavit[6]. Verum etiamsi constaret tantum de probuleumate senatus in utraque causa agi, ne ita quidem liqueret in senatu ipso ius hypomosia intercedendi cuiquam datum esse; quidni enim credas v. gr. Demosthenem loco illo, quem

---

[1] Prolegg. in orat. Aristocr. (Dem. Dind. VI p. 876).

[2] Plut. v. 724 sq. Sunt verba Aesculapii Neoclidis oculis unguentum illinentis.

[3] Codd. ἐπομνύμενον.

[4] τῆς ἐκκλησίας A., τὰς ἐκκλησίας RVU. — Codd. illud ἐπομν. vix licet retinere; nec enim pro simplici verbo ὀμνύμενον accipi potest. Varie quidem scholiastæ codicum lectionis sensum exponere conantur, sed ita, ut appareat eos prorsus confudisse ἐπόμνυσθαι et ὑπόμνυσθαι. Quare certissima mihi videtur emendatio Girardi, quam etiam Schoemann probavit. Girardus recte, credo, hunc sensum versibus inesse statuit: "ut te iureiurando contendentem decreta iniqua vel reipublicæ inutilia esse, et ita sæpe rempublicam perturbantem ac lædentem quum sycophanta sis arceam a concione efficiamque, ut in eam venire non possis, dum hic καταπεπλασμένος sedebis".

[5] Lehrb. d. griech. Antiqu. I (Bähr et Stark) p. 508.

[6] Andoc. de myst. § 17.

supra attuli, de intercessione post dimissum senatum interposita cogitasse?

Sed etiam post populi suffragia lata psephismata per γραφὴν παρανόμων impugnari licuit. Cuius generis intercessionis exemplum præbet Androtionis illud psephisma de senatu coronando, quod non cognita auctoritate senatus in comitiis pertulit[1]. Deinde hoc genere continetur actio illa παρανόμων, quam Archinus Thrasybulo intendit. Thrasybulus enim tulerat, ut Lysias civitate donaretur, quam quidem rogationem populus suffragiis comprobavit. Intercedente vero Archino, quod sine auctoritate senatus rogatio lata esset, psephisma rescissum est[2].

At enim ideo fortasse illis psephismatibus post populi suffragiorum lationem obsistere licuit, quia ἀπροβούλευτα erant lata et quia, cum res moram non paterentur, non erant negotia ante comitiorum diem in programmate proposita[3]. Sed aliæ causæ suppeditant nobis exempla clara et illustria huius generis actionum παρανόμων. Velut Apollodorus quidam Demosthenis ætate rogationem tulit, ut quæ superesset publica pecunia belli usibus reponeretur, non ad largitiones istas, quæ θεωρικά vocabantur, conferretur. Nec senatum de hac re consulere prætermisit; auctoritate enim eius cognita rogationem populi suffragiis permittendam curavit. Atque una voce omnes consenserunt iis pecuniis belli necessitatibus subveniendum esse. *Tum vero* a Stephano psephisma παρανόμων litis telo oppugnatum et iudicio facto sublatum est[4].

Porro ex eadem oratione, in qua Apollodori rogatio describitur, aliud huius rei exemplum sumitur. Exponit

---

[1] v. infra.

[2] [Plut.] X orat. vita 836, v. supra p. 21; Aesch. in Ctesiph. § 195. — Utrum huc pertineat Ar. Ἀθ. πολ. c. 40: καὶ μετὰ ταῦτα γραψάμενος (sc. Ἀρχῖνος) τὸ ψήφισμα τὸ Θρασυβούλου παρανόμων, ἐν ᾧ μετεδίδου τῆς πολιτείας πᾶσι τοῖς ἐκ Πειραιέως συγκατελθοῦσι κτλ., non liquet.

[3] Cfr Bake l. c. p. 67.

[4] [Dem.] in Neæram § 4 sq.

enim orator, quam in iure civitatis impertiendo cauti fuerint legislatores Atheniensium [1]. Nam licet in binis comitiis populus aliquem in civitatem recepisset, nihilominus παρανόμων actionis via ad iudicium provocari potuisse affirmat, si quis novum civem civitatis dono dignum se præstitisse negasset [2].

Ex iis quæ exposuimus luculenter apparet per actionem παρανόμων largam copiam cuivis datam esse et probuleumata impugnandi et a populo iam comprobata psephis-

[1] § 88 sqq., v. infra p. 45.

[2] Non defuerunt, qui hanc de intercessione post suffragiorum lationem facta sententiam fulcire vellent etiam loco quodam Xen. Hell. I c. 7, ubi hæc exstant § 34: Εὐρυπτόλεμος ἔγραψε γνώμην κατὰ τὸ Καννώνου ψήφισμα κρίνεσθαι τοὺς ἄνδρας δίχα ἕκαστον· ἡ δὲ τῆς βουλῆς ἦν μιᾷ ψήφῳ ἅπαντας κρίνειν. τούτων δὲ διαχειροτονουμένων τὸ μὲν πρῶτον ἔκριναν τὴν Εὐρυπτολέμου· ὑπομοσαμένου δὲ Μενεκλέους καὶ πάλιν διαχειροτονίας γενομένης ἔκριναν τὴν τῆς βουλῆς. Quidnam hoc loco illud ὑπομοσ. significare putandum est? Suspiceris fortasse Meneclem litem se παρανόμων Euryptolemo intenturum denuntiasse atque ita invalida effecisse suffragia lata. Quodsi hanc vim voci ὑπομ. nostro loco subicimus, qui tandem iterum in suffragia populus mitti potuisse censemus, actione Meneclis nondum a iudicibus iudicata? Nam perspicuum videtur ad unum atque eundem diem utramque διαχειροτονίαν referendam esse; iudicium vero ipsum, si credimus auctori dialogi illius, qui Axiochus est inscriptus, postridie demum factum est (c. 12: οἱ δὲ περὶ Θηραμένην καὶ Καλλίξενον τῇ ὑστεραίᾳ προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον). Schoemann quidem (de com. p. 161 adn. 5) ita rei rationem sibi informavit, ut contenderet Meneclis ὑπωμοσίαν eo tantum spectavisse, ut iudicium eo die haberi nequiret; rem igitur iure in iudicium vocandam fuisse; legitimo vero ordine neglecto iterum in suffragia populum missum esse. Nec tamen credibile est denuntiationem litis παρανόμων futuræ id tantum effecisse, ut statim denuo suffragia ferre populus iuberetur. Nec rursus existimandum est, ut vult Schoemann, illam alteram διαχειροτονίαν alio die peractam esse; ei enim opinioni verba Xenophontis refragari videntur. Quare mihi quidem nihil aliud reliquum esse videtur nisi ut statuatur aliam vim hoc loco ὑπομοσ. subiiciendam esse. Ac nescio an Menecles prætextu usus vitii cuiusdam in prima διαχειροτονίᾳ commissi prytanes impulerit, ut διαχειροτονίαν iteraret. (Cfr præterea quæ de hac re disserit Grote, History of Greece VIII p. 275 et adn.) Quodsi ita est, nihil hæc intercessio cum actione παρανόμων commune habet.

mata. Quare repudianda est illa Hartelii in hac re opinio, quam supra commemoravimus. Nec enim ad eam probandam ulla est vis aut auctoritas in eo, quod statuit, loco illo [Dem.] in Neær. § 89 γραφὴν παρανόμων δοκιμασίαν esse intelligendam; nec enim tam alte repetendum est institutum δοκιμασίας in civitate danda usurpatum [1]. Ceterum multa sunt, quæ evincant falsam esse totam illam de binis suffragiorum lationibus sententiam, a qua Hartelius proficiscitur [2].

Iam quæri potest num intercessio per actionem παρανόμων facta semper valuerit ad psephismatum dilationem. Quod quidem Madvig prorsus negat. Exscribamus quæ ille vir celeberrimus de hac re disputat. Hæc enim habet: "es ist klar, dass es eine grosse Mänge von Fällen giebt, wo die augenblickliche oder möglichst schnelle Ausführung eines angenommenen Beschlusses . . . so wichtig war, dass der Ausgang eines weitläufigen Processes nicht abgewartet werden und keine Anklage, selbst mit dem Klägereide verbunden, in den Weg treten konnte [3]."

Hæc quidem Madvigius. Atque sententiam eius confirmari censet Wilamowitz [4] lege illa de philosophorum scholis coercendis, quam Sophocles quidam Demetrii Poliorcetæ [5] ætate pertulit. Cuius legis mentionem facit Diog. L. V, 2 (p. 119 Cobet) his verbis: (Θεόφραστος) ἀπεδήμησε πρὸς ὀλίγον καὶ οὗτος καὶ πάντες οἱ λοιποὶ φιλόσοφοι, Σοφοκλέους τοῦ Ἀμφικλείδου νόμον εἰσενεγκόντος μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ· εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. Et Pollux IX, 42: ἔστι δὲ καὶ νόμος Ἀττικὸς κατὰ τῶν φιλοσοφούντων γραφείς, ὃν Σοφοκλῆς Ἀμφικλείδου Σουνιεὺς εἶπεν. Cfr etiam Athen. Dipnos. XIII,

[1] v. Philippi, Rh. Mus. XXXIV p. 609 sq.

[2] Cfr. Philippi l. c.; Swoboda, Gr. Volksbeschl. p. 18 sqq.; Lipsius, Leipz. Stud. XVII p. 405 sqq.

[3] l. c. p. 378 adn. 2.

[4] Phil. Unters. IV, p. 270.

[5] Droysen, Gesch. des Hellen. II³ p. 177. — Wilam. l. c. p. 195; de Phalereo illo cogitant Meineke, Fragm. Com. Græc. I p. 394, Kock, Com. Attic. Fragm. II p. 327.

610 e. Hac igitur lege Theophrastus et reliqui philosophi Athenis pulsi sunt. Sed anno insequenti redierunt, cum Philo quidam, actione παρανόμων Sophocli intentata, id consecutus esset, ut lex Sophoclea antiquaretur. Ac primum quidem Wilamowitzio clarum est, hanc, de qua agimus, legem a nomothetis examinatam et acceptam esse, quod patere censet e verbis quibusdam Alexidis Comici, apud Athen. l. c. servatis:

τοῦτ' ἔστιν Ἀκαδήμεια, τοῦτο Ξενοκράτης·
πόλλ' ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ Δημητρίῳ
καὶ τοῖς νομοθέταις, διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων,
ὥς φασι, δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις
ἐς κόρακας ἐρρίφασιν ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

Ad quæ apud Athenæum hæc adduntur: καὶ Σοφοκλῆς δέ τις ψηφίσματι ἐξήλασε πάντας φιλοσόφους τῆς Ἀττικῆς, καθ' οὗ λόγον ἔγραψε Φίλων ὁ Ἀριστοτέλους γνώριμος, ἀπολογίαν ὑπὲρ τοῦ Σοφοκλέους Δημοχάρους πεποιηκότος τοῦ Δημοσθένους ἀνεψιοῦ. Iam hoc posito atque concesso, Alexidis verbis Sophocleam legem dici — id quod perspicuum non est; certe verba illa καὶ Σ. δέ dubitationem movere possunt — sed fac id constare, non video, cur hoc loco de nomothetarum collegio cogitandum sit. Mihi quidem præstat explicatio, quam dederunt Meineke[1] et Kock[2], νομοθέτας legis latorem ipsum (vel fortasse legislatores) intelligentes. Sed si hoc quoque concedam, nomothetarum collegium dici, illud probare non queo quod dicit Wilamowitz statuendum esse Philonem intercessisse nec tamen dilationem legis effecisse. Nec enim hypomosia actionem ipsam παρανόμων semper præcessit[3], nec, id quod maximum est, ante populi (vel nomothetarum) suffragia lata hypomosiam interpositam esse constat. Equidem ita mihi rem informo, ut credam legem Sophocleam a populo et in comitiis acceptam esse statimque Theophrastum reliquosque philosophos Athenis profugisse. Verum non multo post — erat enim cum causa

[1] l. c. III p. 321.
[2] l. c. [3] v. p. 46.

in iudicio ageretur Sophocles adhuc in culpa — Philo Sophocli diem dixit atque causa in iudicium deducta lex prorsus sublata est. Et tum demum philosophi Athenas reverti ausi sunt. In hac igitur causa nihil invenies, quod Madvigii commendet sententiam.

Neque aliunde vestigium colligi potest discriminis ullius in hac re constituti. Immo vero contendi licet γραφὴν παρανόμων ad omnis generis rogationes impugnandas *iure* quidem æque valuisse. Nihil enim exceptionis admissum esse patet iam verbis illis or. in Aristog. II § 8: ὅταν τις ψηφίσματος ἢ νόμου γραφὴν ἀπενέγκῃ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, ὁ μὲν νόμος ἢ τὸ ψήφισμα ἄκυρόν ἐστιν, id quod orator ipse dolet vel dolere se simulat: καίτοι πῶς οὐκ ἄτοπον, ἃ μὲν ἅπαντες ὑμεῖς συλλεγέντες ἐψηφίσασθε κατὰ[1] τοὺς νόμους ἄκυρα εἶναι κτλ. Quapropter ne tum quidem hanc actionem invalidam fuisse existimandum est, cum rogatoris nominati vicibus collegium quoddam (συγγραφεῖς, στρατηγοί) fungeretur[2]. Quæ cum ita essent, fuit hæc actio magnum præsidium contra temerarias novationes; ideo optimates anno 411 nihil pensi habuerunt hanc ut alias libertatis cautelas e republica funditus tollere[3]. Ceteroquin ad vim amplam huiusmodi intercessionis illustrandam idonea sit Xenophontis illa narratio Hell. I c. 7. Erant enim animi vehementer commoti rogatione Callixeni, cui auctoritatem dederat senatus, de illis decem prætoribus, ut iam admonuimus, una suffragium ferre iubentis. Cui rogationi Euryptotemus aliique intercedebant, *ni tumultuosis populi clamoribus ab incepto territi essent* (ἐπεθορύβησεν ὁ ὄχλος καὶ ἠναγκάσθησαν ἀφιέναι τὰς κλήσεις[4]. Similiter apud Romanos lex erat sacrata de

[1] διὰ A. S. Y. O. k.
[2] De qua re consule Swoboda, Rh. Mus. XXXXV p. 303 sq.
[3] v. p. 61.
[4] Notum est eos qui comitiis præsederunt suffragia populo negare potuisse. Sed animadverte quæso quæ dicit Aesch. de falsa leg. § 260: ἀναγνωσθέντος δὲ τοῦ ψηφίσματος — — ἀναστὰς ἐκ τῶν προέδρων Δημοσθένης οὐκ ἔφη τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν — — βοώντων δὲ ὑμῶν καὶ τοὺς προέδρους ἐπὶ τὸ βῆμα καλούντων, οὕτως ἄκοντος αὐτοῦ τὸ ψήφισμα ἐπεψηφίσθη.

iure tribunorum intercedendi; in usu tamen sæpe intercessione desistere cogebantur. Præterea conferendus est locus ille [Dem.] in Neær. § 4 sq., cuius supra mentionem fecimus [1]; quamvis enim bellum instaret et quam celerrime opem ferri interresset, tamen intercedente Stephano iussum populi irritum factum est.

Iam vero quæritur, num hæc quæ de psephismatibus disputavimus etiam ad leges transferri possint. Quod Schoellius prorsus negat affirmando, ut audivimus, nomothesiæ sollemnem ordinem dirimi non potuisse. Verum mihi quidem argumenta eius non satisfaciunt. Ac primum quidem in eam sententiam deduci me non sino ut cum Schoellio credam verba illa, quæ exstant in lege de actione παρανόμων concepta, Timocr. § 33: ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων ἕτερον ἀντιθῇ μὴ ἐπιτήδειον τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἢ ἐναντίον τῶν κειμένων τῳ, τὰς γραφὰς εἶναι κατ' αὐτοῦ κτλ. necessario ad nomothesiæ ultimum gradum ducere mentem [2]. Nam apud nomothetas leges *re vera* tollebantur, quod tamen non impedit, quominus qui novam proposuisset legem, veterem pro virili parte sustulisse dici possit, licet nomothetæ suffragium nondum dedissent. Quod porro Schoellius negat ante nomothetarum consessum decerni in iudicio potuisse, utrum lex prave rogata vel bono publico contraria esset necne, priusquam vetus, cui quis obrogavisset, lex sublata esset, non nimiam ad probandum vim habet. Nam licet omnis ordo legitimus nomothesiæ observaretur, nihilominus e loco ἐπιτηδείου lex postulari poterat, i. e. in ipso legis argumento inesse poterat, quod iniustum, inutile, reipublicæ alienum videretur. Deinde erant quidem syndici, quorum erat officium veterum legum patrocinium suscipere, quibus tamen si prorsus confisi essent Athenienses, omnem, credo, in nomothesia intercessionem sustulissent.

[1] p. 39.

[2] Schoell l. c. p. 134: "die Aufhebung des bisher geltenden Gesetzes durch die Majorität der Nomothetenversammlung ist dabei vorausgesetzt: λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων gilt ohne Frage auch für (ἐὰν) ἀντιθῇ ἐναντίον τῶν κειμένων τῳ".

Et ne quis in eo hæreat, quod dicunt hanc singulorum potestatem omnem legislationem susque deque habituram fuisse, poena, qua si causa ceciderant afficiebantur, sine dubio ne licentius intercederent terrebantur [1]. Cfr præterea quæ p. 8 adn. 2 disputavimus. Ceterum quod Schoell affirmat in nomothetarum iudicio legis adversariis copiam dicendi datam non esse nihil est nisi coniectura, cuius nullum, quod sciam, antiquum testimonium proferre potest.

Atqui Schoellius ad sententiam suam quodammodo confirmandam ad psephismata de civitate danda confugit; statuit enim ut in legibus sciscendis, sic etiam in psephismatibus de civitatis datione latis non ante hanc intercessionem adhiberi potuisse quam suffragia lata essent [2]. In quo apparet Schoellium locum illum [Dem.] orat. in Neær. § 88 sqq., cuius supra mentionem iniecimus [3], in animo habuisse, ubi ratio ritusque civitate donandi describitur. Iam si illo loco Schoell ita uteretur, ut ab eo profectus contenderet ne bina quidem populi suffragia lata γραφῆς παρανόμων periculum avertere potuisse, libenter ei assentirer; nunc vero sententiam suam mihi haud probat. Nam mihi quidem est persuasum, orationis scriptorem non tam ordinem legitimum, quo quasi momentum aliud aliud exciperet, notare voluisse quam ostendere et illustrare, quantam in civitate danda diligentiam observari legislatores voluissent. Extremo autem loco huius intercessionis telum collocatum ab eo esse, profecto non est quod miremur, præsertim cum huiusmodi ordo sine dubio in usu frequentissimus fuerit.

Iam vero videamus, liceatne vestigium quod intercessionis ante dimissum nomothetarum collegium interpositæ colligi necne. Colligemus, credo, si reputaverimus, quæ intercesserit ratio inter hypomosiam et actionem ipsam παρανόμων. Nec enim hæc duo inter se confundenda sunt, ut vulgo faciunt recentiores, qui testimonio Pollucis nisi [4],

[1] v. supra p. 2.

[2] l. c. p. 135 adn.

[3] p. 39 sq.

[4] VIII, 43. 56. V. infra p. 68.

promiscue utroque vocabulo utuntur. Etenim huiusmodi hypomosia nihil aliud est quam iusiurandum quo quis denuntiat se aliquem male rogatæ legis psephismatisve postulaturum esse, ut iam Schoemann recte definivit[1]. Quam denuntiationum cum sæpenumero actio ipsa παρανόμων sequeretur, factum est, ut hypomosia idem atque actio παρανόμων intellegeretur. At Demosthenis ætate primigeniam vim vocabulum illud retinet et creberrime etiam de aliis iusiurandis usurpatur, quibus dilatio cuius rei petitur[2]. Distinguunt igitur oratores inter hypomosiam et actionem ipsam παρανόμων. Ita cum de intercessione post comitiorum diem vel nomothetarum collegium dimissum facta mentionem faciunt, huiusmodi intercessionem γραφὴν παρανόμων, non ὑπωμοσίαν appellant. Nempe tum non erat opus iusiurando, sed tantummodo γραφῇ. Qui autem in comitiis aderant nec statim accusatorium libellum deferre poterant, ὑπωμοσίᾳ interim usi sint. Iam quæritur, num quod exemplum hypomosiæ in legibus ferendis factæ reperiri possit. Unum saltem, ni fallor, invenies exemplum. Ait enim Demosthenes de cor. § 103: *καίτοι πόσα χρήματα τοὺς ἡγεμόνας τῶν συμμοριῶν ἢ τοὺς δευτέρους ἢ τρίτους οἴεσθέ μοι διδόναι ὥστε μάλιστα μὲν μὴ θεῖναι τὸν νόμον τοῦτον, εἰ δὲ μή, καταβάλλοντ'*[3] *ἐᾶν ἐν ὑπωμοσίᾳ.* Quæ verba sic accipio: quantam mihi pecuniam obtulisse eos existimatis, maxime ut legem non ferrem, sin minus, ut eam neglectam desererem, cum se γραφήν instituros esse iurassent[4]. Quodsi recte convertitur,

[1] De com. p. 159.

[2] V. Harpocr. v. ὑπωμοσία.

[3] Codd. καταβαλόντα et καταβάλλοντα.

[4] Sic fere Platner l. c. p. 54, Dobræus, Voemel, alii. Blass, Die Rede vom Kranze, ὑπωμοσίαν eodem sensu accipit, sed verba μὴ θεῖναι vertit: (das Gesetzt) nicht bei den Nomothetenkommission durchbringen. Sic forsitan verba illa accipi possint, sed ita solum, si in ipso nomothetarum consessu liberum adversariis intercedere fuisse statuimus. — De usu verbi τίθημι iam Reiske animadvertit (Ind. græcit. Demosth.): "τιθέναι legem dicitur is, qui eius sciscundæ auctor populo sit, etiamsi haud perferat". Ad quod illustrandum delego ad Dem. Timocr. § 23 (v. supra p. 8 adn. 1), Lept. § 100, § 137 (v. supra p. 19 adn. 3).

sic statuo etiam ex hoc loco effici posse nomothesiæ sollemnem ordinem ritumque per hypomosiam dirimi potuisse vel saltem ante nomothetarum collegium dimissum intercedere licuisse. Dicat quidem quispiam — et dictum est, cfr Platner l. c. p. 39 — hanc Demosthenicam legem, per simplex populiscitum acceptam, nomothetarum iudicio omnino non subiectam esse. Quippe interdum Demosthenis ætate sollemni de legibus ferendis ritu neglecto — id quod in Leptinea et Timocratea impugnatur — rogationes, auctoritate senatus cognita, a populo ipso acceptas et comprobatas esse constat. Nec tamen verisimile est, Demosthenem in hac lege sese iactaturum fuisse, si ritum legitimum atque constitutum violasset. Nec rursus existimandum est, Aeschinem e læso in lege Demosthenica ferenda ritu ansam ad Demosthenem ipsum reprehendum quærere omissurum fuisse.

Statuo igitur ut in psephismatibus, sic in legibus per γραφὴν παρανόμων et ante suffragia lata rogationibus intercedi licuisse et post suffragiorem lationem. Atque affirmo huiusmodi intercessionem iure quidem ad dilationem omnis generis rogationum æque valuisse.

Sed nunc ad alias res transeamus. Iam constituere conati sumus, quæ inter ἐπιχειροτονίαν et γραφὴν παρανόμων intercederet ratio[1]. Atque apparuit in eodem genere versatas esse neque a dissimili parte legislationem per eas stabilitam esse. In utraque enim quæsitum esse invenimus, utrum esset lex nova reipublicæ incommoda ratisque legibus contraria necne. Ad quas addendam esse vidimus tertiam illam cautionem, διόρθωσιν dico thesmothetarum, quæ et ipsa ad antinomiam avertendam leges legumve partes inter se repugnantes vel supervacaneas sectabatur, sed ita tamen, ut ratas tantummodo leges respiceret. Quæ cum ita sint, vix cogitari potest ab uno atque eodem tempore hæc tria instituta repetenda esse. Neque enim est quod credamus tanta Athenienses diligentia fuisse, ut simul omnia

[1] p. 17 sqq.

hæc cautionis genera instituerent. Immo verisimile est prout crevit Atheniensium respublica et populus in rerum civilium usum studiosius incubuit, eo magis necessitate coactos esse statum reipublica contra temerarias novationes tueri. Iam emendatione thesmothetarum omissa paullo accuratius disputemus, quid statuendum sit de aliis illis institutis, utpote aliqua ex parte inter se connexis. Namque inter eos, qui in re iudiciaria Atheniensium studia posuerunt, magna fuit de origine horum institutorum disceptatio. Antiquioribus enim erat persuasum utriusque originem a Solone repetendam esse, quandoquidem oratores illum legislatorem designarent. Nam in orat. adv. Lept. habita Demosthenes Soloni nomothesiæ ordinem ascribit[1], quacum quia in lege in Timocr. oratione servata actio παρανόμων est coniuncta, hæc quoque ad eundem legislatorem referebatur. Neque tamen eos effugit, oratores sæpe falso leges nomini Solonis, clarissimi nomothetæ, adfixisse[2], ceterum erant in ipsa de epichirotonia lege, quæ formam dumtaxat legis aperte indicarent Solonis ætate recentiorem esse[3]. Quare nonnulli ita sibi rem informaverunt, ut statuerent priscam et obsoletam legis formulam sub finem belli peloponnesiaci immutatam esse. Recentiorum vero alii nihil de tempore statuere audent, alii alia sentiunt. Sed tamen haud scio an plurimi Grotium sequantur, qui quidem utrumque institutum Soloni abiudicat et ad Ephialtæ reipublicæ status conversionem refert[4].

Equidem quo diutius in hac re versor, eo propensius fio hæc instituta a diversis repetere temporibus.

---

[1] § 90: οὐ γάρ ᾤετο δεῖν ὁ Σόλων, ὁ τοῦτον τὸν τρόπον προστάξας νομοθετεῖν κτλ. — § 93: Συνίεθ' ὃν τρόπον ὦ ἄ. 'Αθ. ὁ Σόλων τοὺς νόμους ὡς καλῶς κελεύει τιθεναι πρῶτον μὲν παρ' ὑμῖν κτλ.

[2] Meier, de bonis damnat p. 2: "oratores Solonis nomine sæpe utuntur, ubi omnino legislatorem quendam significare volunt, etiamsi a Solone ipso lex lata non est".

[3] Ut mentio statuarum eponymorum, qui Clisthenis demum ætate eponymi facti sunt.

[4] History of Greece V p. 500 sqq. (v. supra p. 5 adn. 2).

Atque primum quidem per se perspicuum est ἐπιχειροτονίαν νόμων, qualem im Timocratea descriptam esse vidimus, a Solone originem ducere non potuisse. Nam et sermonem exhibet ad recentiora tempora pertinentem et institutorum, ut monuimus, meminit, quæ non erant Solonis ætate. Neque usquam traditur a Solone ullam legislationis partem heliastis concessam esse; immo vero testimoniis antiquis edocemur iudicandi potestatem initio perexiguam fuisse[1]. Et, id quod maximum est, argumentis extrinsecus vel potius e re ipsa sumptis prohibemur, quominus ἐπιχειροτονίαν νόμων tam alte repetamus.

In huiusmodi enim quæstionibus ante omnia nobis videndum est, ne temere illis antiquissimis temporibus instituta adfigamus, quæ posteriora demum et ea dissimillima studia opinionesque edere potuisse rem diligentius consideranti facile apparebit. Nam æqualium Solonis de νόμων vi naturaque sententia, quantum equidem perspicere possum, prorsus prohibet, quominus illum legislatorem de certa atque sollemni nomothesia cavisse credamus. Divini enim quiddam νόμους intelligebant; plurimi erant prisci mores a maioribus hereditate accepti longaque consuetudine consecrati, quorum origo deo cuidam debebatur. Quæ autem leges illa vetustissimæ sanctitatis quasi nota insignitæ non erant quæque legumlatorum fuerunt ad novos usos nova, si necessitas postulaverat, fingentium, eas necesse erat ad deorum ipsorum auctoritatem revocari, si quidem vim νόμων habituræ erant. Prophetas igitur divinitus missos nomothetas agnoscebant. Quorum in numerum quin Solo admissus sit admittique voluerit, dubitari non potest[2]. In quo tamen cavendum est, ne omnia Solonis instituta ad disciplinam et temperationem civitatis pertinentia illam sancti-

---

[1] Plut. Solon 18: ὃ (sc. τὸ δικάζειν) κατ' ἀρχὰς μὲν οὐδέν, ὕστερον δὲ παμμέγεθες ἐφάνη.

[2] Sol. fragm. 35 (Bergk): ἃ μὲν [1] ἄελπτα σὺν θεοῖσιν ἤνυσ' ἄλλα δ' [2] οὐ [3] μάτην ἔρδον ([1] vulgo ἅμα γάρ; [2] alii ἅμαδ'; [3] Bergk οὐ, Schmidt αὖ, Schneidewin ὧν). — Leges suas Solo ipse θεσμούς appellat fragm. 36: θεσμοὺς δ' ὁμοίους τῷ καλῷ τε κἀγαθῷ — — — ἔγραψα.

tatis naturam habuisse nobis informemus. Nec enim contigit Soloni — vel potius id non spectavit — ut omnibus suis institutis inprimeret notam inviolatæ religionis, quæ sola ea diutius ab interitu servare potuit. Verum ita cum νόμοις cetera instituta coniuncta erant, ut his semel perturbatis ne auctoritas illorum sensim subverteretur ei metuendum esset. Quocirca prorsus verisimilitudinis specie caret Atheniensium legislatorem κατ' ἐξοχήν ritum legum ferendarum abrogarandumque statuendo sua ipsius atque patria iura in discrimen vocare voluisse. Immo nihil antiquius habuit quam ut leges suas inviolatas servaret et omnis generis cautionibus circumsæpiret [1]. Et quod memoriæ proditum est a Solone obstrictos esse Athenienses ad leges per certum temporis spatium observandas [2], minime in totam de annua epichirotonia statoque ritu nomothesiæ sententiam quadrat [3].

Ex iis quæ dicta sunt apparet ordinariam epichirotoniam nomothesiamque a mente et consilio Solonis longe abhorruisse. Nec novis νόμοις opus erat, nam psephismata ad ius publicum et civile supplendum et rempublicam administrandam sufficere existimabantur. Horum igitur vis late patebat, ut omnia populi in comitiis congregati decreta, sive singularia et temporalia erant, sive generalia et infi-

---

[1] V. p. 61 sqq..

[2] Nec ideo Solonem, virum excellenti providentia, tam ineptum fuisse existimandum est, ut speraret in sempiternum tempus leges suas mansuras esse; potius credimus eum probe intellexisse fore, ut paullatim abolerentur. At quidni credamus eum hoc quoque sibi persvasisse, futurum esse, ut alius existeret propheta, qui leges ad novas reipublica conditiones accommodaret?

[3] Ar. Ἀθ. πολ. c. 7: κατεκύρωσεν δὲ τοὺς νόμους εἰς ἑκατὸν ἔτη. — Plut. Sol. c. 25. — Herod. I, 29: ἀπεδήμησε — — — ἐκπλώσας, ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι τῶν ἔθετο· αὐτοὶ γὰρ οὐκ οἷοί τε ἦσαν αὐτὸ ποιῆσαι Ἀθηναῖοι· ὁρκίοισι γὰρ μεγάλοισι κατείχοντο δέκα ἔτεα χρήσεσθαι νόμοισι τοὺς ἄν σφι Σόλων θῆται. — Gell. N. A. II, 12: in legibus Solonis illis antiquissimis quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt quasque latas ab eo Athenienses, ut *sempiternæ* manerent, poenis et religionibus sanxerunt etc. — Nimius scilicet est Gellius rhetorum in modum.

nita, significarent. Velut simplex psephisma, non νόμος conditionem Salaminiorum colonorum describit [1]. Quæ autem psephismata ne νόμους læderent, Solo peculiari γραφῇ παρανόμων cavit [2]. Intra quem finem leges gravissimæ illis temporibus sine dubio per simplex psephisma perlatæ sunt [3]; ne minimum quidem vestigium νόμου ullius a nomothetis dati deprehendi potest. Atque hoc respicientes, quamquam in omnia, quæ ad formæ reipublicæ Atheniensium commutationes cognoscendas pertinet, exigua tantummodo lux cadit, optimo iure statuere possumus legislationis arbitrium illis temporibus penes senatum populumque fuisse; Solonis quasi normæ vigebant aut partim in oblivionem venerunt; mutare vero eas aut plane abolere religiosum erat [4].

Quod quidem in quinto quoque sæculo valet. Nam quantum perspicere licet, quævis reipublicæ mutatio senatui quingentorum comitiisque populi debebatur. Velut lex illa Aristidis, qua cuilibet civi ad summos honores viam patefactam esse Plutarchus narrat, nihil nisi psephisma erat [5]. Neque ullo pacto adduci possumus, ut statuamus aliam le-

---

[1] Cfr Foucart, Bull. d. corr. hell. XII p. 1 sqq.

[2] v. infra p. 61 sqq.

[3] Verisimile est ab hoc sæculo repetendum esse illud ἐπὶ Σκαμανδρίου ψήφισμα, cuius Andocides mentionem facit de Myst. § 43: ἀναστὰς δὲ Πείσανδρος ἔφη χρῆναι λύειν τὸ ἐπὶ Σκαμανδρίου ψήφισμα καὶ ἀναβιβάζειν ἐπὶ τὸν τροχὸν τοὺς ἀπογραφέντας κτλ. Cfr Beloch, Gr. Gesch. I p. 310 adn. 1.

[4] Ait Demosthenes ipse or. adv. Lept. § 91: καὶ γάρ τοι τότε μὲν, τέως τὸν τρόπον τοῦτον ἐνομοθέτουν, τοῖς μὲν ὑπάρχουσιν νόμοις ἐχρῶντο, καινοὺς δ' οὐκ ἐτίθεσαν.

[5] Arist. c. 22: γράφει ψήφισμα κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν καὶ τοὺς ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων αἱρεῖσθαι. — Cfr Ar. Ἀθ. πολ. c. 26: Περικλέους εἰπόντος, ἔγνωσαν μὴ μετέχειν τῆς πόλεως ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀμφοῖν ἀστοῖν ᾖ γεγονώς. — Ceterum fieri potest, ut illud Aristidis psephisma eam vim non habuerit, ut legibus, quæ dicuntur, adnumerandum sit. Etenim Fabricius probare studuit (Rh. Mus. 51 p. 456 sqq.) atque id quidem, ut mea fert opinio, rationibus admodum probabilibus ductus, hoc populiscito lege illa de archontibus creandis, quæ anno Ol. 73/2 = 487/6 perlata erat (Ar. Ἀθ. πολ. c. 22) in præsentia tantum Athenienses solutos esse.

gum Ephialtæ ferendarum rationem fuisse nisi cuiuslibet psephismatis ferendi ordinem ac ritum. Quod tamen Wilamowitz sibi persuasit, similitudine nomothesiæ quarti sæculi ductus affirmans, annua legum censura (ἐπιχειροτονίᾳ νόμων) iam his temporibus populum rogatum esse, utrum iura mutanda essent necne [1]. Negat tamen nomothetarum iudicio leges subiectas esse; populum enim ipsum ad suum arbitrium omnia in comitiis decrevisse contendit. Ego vero respiciens, quæ Atheniensium illorum temporum de νόμοις opinio fuerit, omnem de huiusmodi epichirotonia cogitationem abiicere cogor.

Nec rursus mihi arridet illa sententia, quæ ipsi Ephialtæ eiusque factioni institutionem nomothesiæ epichirotoniæque attribuit. Dubitari quidem non licet, quin cum Ephialtæ nomine nonnullæ in republica novationes coniungendæ sint; tradunt enim uno consensu scriptores, eius ætate multa ἐπίθετα Areopago erepta esse, quæ senatui quingentorum, populo, iudiciis mandarentur [2]. Sed alioquin prorsus obscura conversio videtur. Iam enim illud ἐπίθετα valde virorum doctorum animos exercet; nam si Aristoteli credimus, ea ἐπίθετα Areopagum custodem legum et veteris disciplinæ effecerant, id quod iam ante Draconem illum senatum fuisse idem auctor alio loco asseverat [3]. Apparet igitur diversis fontibus Aristotelem usum esse. Quo autem modo hæc discrepantia orta sit, hoc fere modo explanandum esse suspicor. Cum enim capita popularium de omni ferme sanctissimi Areopagi auctoritate frangenda molirentur, probe intellexerunt fieri non posse, quin simul patria iura læderentur. Verendum iis igitur erat, ne vehementissima tempestas in ipsos tamquam sacrilegos coorere-tur, ob eamque rem eorum interfuit ea animos Atheniensium

---

[1] Aristot. und Athen II p. 194.

[2] Ar. Ἀθ. πολ. c. 25: . . . τῆς βουλῆς ἐπὶ Κόνωνος ἄρχοντος ἅπαντα περιείλετο τὰ ἐπίθετα, δι' ὧν ἦν ἡ τῆς πολιτείας φυλακή, καὶ τὰ μὲν τοῖς πεντακοσίοις, τὰ δὲ τῷ δήμῳ καὶ τοῖς δικαστηρίοις ἀπέδωκεν. — Pol. II, 9, 3. — Plut. Per. c. 7; Cim. c. 10. — Paus. I, 29.

[3] Ἀθ. πολ. c. 3.

opinione imbuere, ut ἐπίθετα tantum, non patria iura eripi Areopago iis viderentur [1]. Satis enim perspectum habebant non nisi aut fallaciis aut aperta vi ea plane abrogari posse. Unde declaratur, cur in Atthides illud ἐπίθετα irrepere potuerit atque inde in librum Aristotelis sibi parum se constare non animadvertentis.

Iam dubitari non potest, quin Areopagi auctoritas fracta ad subruendam sanctitatem παλαιῶν νόμων nonnihil valuerit. Ac fortasse quispiam hinc præsidium sibi parare velit ad illorum sententiam fulciendam, qui Ephialten ad Areopagi diminutionem potestatis compensandam novum nomothesiæ epichirotoniæque institutum creasse autumant. Sed si rem diligentius reputaverimus, aliter, credo, eveniet. Ac primum quidem antiquis testimoniis in hac re plane destituimur; nusquam enim mentio ullarum in hoc genere partium Ephialtæ occurrit; in unico loco, quo remedium quoddam ad incommodas leges avertendas quæsivisse traditur, magna nunc suspicio insidet [2]. Deinde per se verisimile non est, capita popularium Areopagi potestate fracta, epichirotonia atque nomothesia instituendis semet ipsos in summum discrimen et periculum vocare ausos esse [3]. Affir-

---

[1] Cfr Wilam. l. c. p. 186 sq. Cuius tamen sententiæ non plane adstipulor cum dicit: "die partei des Ephialtes hat gesiegt, *und sie hat selbstverständlich sich nicht selbst als revolutionär betrachtet*, musste also was sie dem Areopag nahm als von rechtswegen diesem gar nicht zustehend bezeichnen, so dass sie nur einen übergriff beseitigt hätte".

[2] Lex. Rhet. Cantabr. v. νομοφύλακες collegium nomophylacum ab Ephialtæ tempore repetit, Philochorum testem afferens. Hæc enim habet: Νομοφύλακες· ἕτεροί εἰσι τῶν θεσμοθετῶν ὡς Φιλόχορος ἐν τῇ ἑβδόμῃ . . . . τὰς δὲ ἀρχὰς ἠνάγκαζον τοῖς νόμοις χρῆσθαι καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν τῇ βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων ἐκάθηντο κωλύοντες τὰ ἀσύμφορα τῇ πόλει πράττειν· ἑπτὰ δὲ ἦσαν καὶ κατέστησαν, ὡς Φιλόχορος, ὅτε Ἐφιάλτης μόνα κατέλιπε τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος. Quod institutum nunc optimo iure ab ætate Demetrii Phalerii repetitur. Cfr. Busolt, Gr. Gesch. III[2] p. 280 adn. Etiam Wilamowitz, qui Phil. Unters. I p. 51 sq. testimonium lexici tueri voluerat, nunc in libro, qui inscriptus est Aristot. und Athen, sententiam suam revocavit (II p. 192).

[3] Credo tamen optimates metu perculsos esse, ne novum sacrilegium populares huic tantæ conversioni adderent. Certe in Aesch.

mat præterea Cicero Athenienses quibusdam temporibus Areopago sublato nihil nisi populiscitis ac decretis egisse. Et etiam atque etiam premendum est, epichirotoniam nomothesiamque institui non potuisse nisi valde conversis omnium mentibus.

Quo autem magis imperii fines promovebantur et frequentiore cum aliis populis commercio Athenienses misceri coepti sunt, eo ad novationes populus pronior factus est. Cum mercibus enim adventiciis peregrinæ opiniones Athenas invectæ sunt; hinc rursus corruptela et demutatio morum. Ac tum velut in fertili terra sophistæ, qui appellantur, semina illa spargere coeperunt, e quibus exoriebatur summa vulgi opinionum conversio, id quod vel maximum fuit ad illam de νόμων vi naturaque sententiam labefactandam. Nam sophistæ sententiam Heracliti aliorumque philosophorum amplexi ita, ut affirmarent nihil esse quod suo statu

Eumen. vss. 690—710 videor audire quasi repercussam vocem omnium, qui tale quid vererentur. Cum iis enim facio, qui sibi persuaserunt Aeschylum in hac fabula suæ ætatis contentionibus alludere voluisse. Iam nusquam quidem diserte indicat scelus ullum a popularibus in Areopagi potentia imminuenda commissum esse; Areopagum enim φονικῶν tantummodo iudicium exercentem describit. Verum cum verba facit de verecundia reverentiaque civium, quæ in colle Martio iniustitiam prohibitura sit, dummodo cives ipse caveant, ne νόμους mutent, atque de malis profluviis lutoque, quibus liquida aqua inquinetur, (Cfr v. 690 sqq.:

ἐν δὲ τῷ σέβας
ἀστῶν φόβος τε συγγενὴς τὸ μὴ ἀδικεῖν
σχήσει τόδ' ἦμαρ καὶ κατ' εὐφρόνην ὁμῶς,
αὐτῶν πολιτῶν μὴ' πικαινούντων νόμους.
κακαῖς ἐπιρροαῖσι βορβόρῳ θ' ὕδωρ
λαμπρὸν μιαίνων οὔποθ' εὑρήσεις ποτόν)

cum igitur harum rerum meminit, optime, opinor, verba eius intelliguntur, si e metu, ne amplius potestas senatus minueretur, ducta esse statuamus. Forsitan rumor quidam incertus in vulgus evaserit, consilia inita esse de iure Areopagi φονικά iudicandi tollendo. Vel fortasse, ut vult Cauer, Rh. Mus. 50 p. 348 sqq., iam tum de ritu archontes eligendi mutando moliri cœperunt populares; proximo enim anno, si Aristoteli credimus, lex illa perlata est, qua Zeugitis archontes eoque areopagitas fieri licuit.

semper maneret negarentque ultra speciem veritatis perveniri posse [1], ii igitur illam sententiam amplexi in vulgus efferre, præsertim sub finem sæculi, et quæ inde consequerentur exponere studuerunt. Iam si omnia legi vicissitudinis quasi addicta essent, inde continuo sequi statuerunt eandem παλαιῶν νόμων rationem esse. Et quantam inter νόμους differentiam apud diversos populos atque in uno eodemque populo diversis temporibus fuisse? [2] Neque enim νόμους semper cum natura consentire [3]; nomothesiam ergo ad hominum sollertiam revocandam esse [4] et illam opinionem, e qua divina esset νόμων origo, diligentius in rem inquirenti meram superstitionem evadere [5]. Difficile igitur non est intellectu, quomodo inde concludere potuerint nec singulos necessario ad νόμους observandos astrictos esse [6] nec rempublicam — id quod ad propositum pertinet — ullo pacto prohiberi, quominus illa iura, quæ sibi ipsa imposuisset, ad suum arbitrium mutaret vel prorsus abrogaret [7]. Tum demum de epichirotonia et nomothesia sollemni instituenda agi poterat.

Et re vera cum iis, quæ hactenus explicata sunt, plane consentiunt quæ ex monumentis antiquitatis de iis institutis edocemur. Ad quod illustrandum paullo altius rem repetamus. Imperio igitur attico aucto, vehementer multiplicata sunt negotia, quæ ad senatum populumque deferebantur. Difficile igitur fuit comitiorum turbæ permixtæ ipsi per-

[1] Zeller, Die Philosophie der Griechen I^2 p. 449 sqq., p. 720 sqq.

[2] Cfr v. gr. Plato, Theæt. 167 C: οἷά γ' ἂν ἑκάστῃ πόλει δίκαια καὶ καλὰ δοκῇ, ταῦτα καὶ εἶναι αὐτῇ, ἕως ἂν αὐτὰ νομίζῃ.

[3] Plato, Gorg. 482 E: . . . ὡς τὰ πολλὰ δὲ ταῦτα ἐναντία ἀλλήλοις ἐστίν, ἥ τε φύσις καὶ ὁ νόμος. — Protag. 337 C: . . . ὁ δὲ νόμος, τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται.

[4] Plato, Legg. X 889 E: . . . τὴν νομοθεσίαν πᾶσαν οὐ φύσει, τέχνῃ δέ.

[5] Cfr de universa re Zeller l. c. p. 724 sqq.; Windelband, Gesch. d. alt. Philos. (Hdb. d. Klass. Altertumswiss. V p. 188 sqq.).

[6] Xen. Mem. IV, 4, 14: καὶ ὁ Ἱππίας, Νόμους δ' ἔφη, ὦ Σώκρατες, πῶς ἄν τις ἡγήσαιτο σπουδαῖον πρᾶγμ' εἶναι ἢ τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς, οὕς γε πολλάκις αὐτοὶ οἱ θέμενοι ἀποδοκιμάσαντες μετατίθενται;

[7] v. infra p. 59 sq.

spicere, quomodo inter se res connexæ essent, quidve ex quoque populiscito eventurum esset providere. Quare ut respublica uno et constanti consilio administrari posset, necessitate Athenienses coacti sunt ad res maiores momenti interdum certos viros deligere, qui de iis rebus deliberarent legesque de iis conceptas comitiis proponerent. Quod quidem a medio saltem sæculo usu venisse e titulis edocemur, ut, si necessitas postulavisset, vel uni vel pluribus hoc negotium daretur[1]. Sed monendum est illos ξυγγραφέας, ut vocabantur[2], nihil ipsos sciscere potuisse. Deinde haud verisimile est eos collegium quotannis creatum intelligendum esse, ut vult Sauppe[3]. Præterea existimandum est eos arcte munere suo de re certa ac statuta rogationem proponendi circumscriptos fuisse, nisi si separatim maiore eos potestate populus ornaverat. Velut ξυγγραφεῖς illi anno Ol. 92/1 = 412/11, cum popularis status eversus est, creati libero arbitrio instructi sunt, ut quid sentirent de universa ratione reipublicæ ordinandæ scriberent rogationesque de ea re populi probationi subiicerent[4]. Qui tamen comitiorum die nihil aliud suaserunt nisi ut cuivis civi quidvis rogare liceret. Quod quo facilius fieret, actionem quidem παρανόμων aliaque eius generis instituta in præsentia sustulerunt[5]; ceteroquin autem de νόμοις abrogandis suffragia lata esse nihil est cur credamus. Tum vero quadringentorum illum senatum Athenienses creaverunt. Quorum imperio sublato crebris comitiis habitis cum multa tum nomothetas ad civitatem ordinandam Athenienses instituisse memoriæ prodi-

[1] Sauppe, Ind. Schol. Gotting. 1880 = Ausgewählte Schriften, p. 729 sqq.; Foucart, Bull. de corr. Hell. IV p. 225 sqq.

[2] Harpocr. v. Συγγραφεῖς · εἰθισμένον ἦν παρ' Ἀθηναίοις, ὁπότε δέοι, πλῆθός τε αἱρεῖσθαι, εἰς ῥητὴν ἡμέραν εἰσφέρον γνώμας εἰς τὸν δῆμον κτλ.

[3] l. c. p. 739.

[4] Thuc. VIII, 67: καὶ πρῶτον μὲν τὸν δῆμον ξυλλέξαντες εἶπον γνώμην δέκα ἄνδρας ἑλέσθαι ξυγγραφέας αὐτοκράτορας · τούτους δὲ ξυγγράψαντας γνώμην ἐσενεγκεῖν ἐς τὸν δῆμον ἐς ἡμέραν ῥητὴν καθ' ὅτι ἄριστα ἡ πόλις οἰκεῖται. — Ar. Ἀθ. πολ. c. 29.

[5] Thuc. l. c.; Ar. Ἀθ. πολ. l. c.; v. infra p. 61.

tum est[1]. Hæc est prima illius instituti mentio. Thucydides, qua est brevitate, rem obiter attingit, nec quibus finibus negotium eorum circumscriptum sit, definitu facile est. Nihil autem eos fuisse nisi extraordinarios magistratus vel inde colligi potest, quod proximis annis Athenienses ad ξυγγραφέας eligendos redierunt, qui cum populo, non cum nomothetis egerunt. Quin nescio an recte Schoellius coniecerit, hos nomothetas ξυγγραφέας quosdam intelligendos esse, sive hoc nomen ei magistratui fuerit, sive vocem quæ est ξυγγραφεῖς, simili vocabulo Thucydidi circumscribere placuerit[2].

Etenim re vera duo nomothetarum generum Andocides meminit, quorum alterum illorum ξυγγραφέων munere terminatum fuisse verisimillimum est, alterum autem quarti sæculi nomothetarum collegio consimile fuisse apparet. Trigintavirorum enim imperio sublato ad vulnera reipublicæ sananda nova remedia reperiri necesse fuit. Ac primum quidem certos viros Athenienses creaverunt, qui reipublicæ consulerent, donec leges latæ essent, et decreverunt, ut interim Solonis et Draconis legibus civitas uteretur[3]. Deinde senatum sortiti *nomothetas* creaverunt; tum comitiis habitis huiusmodi psephisma perlatum est[4]: ἔδοξε τῷ δήμῳ, Τεισαμενὸς εἶπε, πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια, νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς, χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ. ὁπόσων δ' ἂν προσδέῃ οἱ δέκα[5] ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς

[1] Thuc. VIII, 97: ἐγίγνοντο δὲ καὶ ἄλλαι ὕστερον πυκναὶ ἐκκλησίαι, ἀφ' ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἆλλα ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν.

[2] De extraordinariis quibusdam magistratibus Atheniensium (in Comment. philol. in honorem Th. Mommseni, p. 464).

[3] Andoc. de myst. § 81 sq.

[4] Andoc. l. c. § 83 sq.

[5] Codd. οἵδε. Reiske particulam δέ delendam censuit vel reponendum οἱ ΔΕ (δεκάκις πέντε). Dobr. οἱ ἤδη ᾑρημένοι. Sluit. voluit οἱ Ν (πεντήκοντα) vel οἱ δέκα. Schoem. οἱ Λ aut ΛΕ legendum esse credidit, De com. p. 271 adn. 49. Blass οἱ δὲ ᾑρ., lacunam ante hæc statuendam esse suspicans. Lips. οἱ ἤδη ᾑρ., lacunam ante vocab. ὁπόσων indicare studens. Cum mendum nescio quod sub codd. scriptura latere videretur, hanc in contextu acceptam emendationem maxime aptam iudicavi.

βουλῆς ἀναγράφοντας ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί. τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλή καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν. ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ εἰσιόντι εἰς τὴν βουλὴν συμβουλεύειν ὅτι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων. ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι, ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων ὅπως ἂν ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται. τοὺς δε κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον, ἵναπερ πρότερον ἀνεγράφησαν, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ. Populus igitur iussit, ut Solonis et Draconis legibus Athenienses uterentur, novas autem, quæ opus essent, leges nomothetæ a senatu creati ad eponymorum statuas in tabulis omnibus cognoscendas conscriberent magistratibusque traderent; interim cuilibet liceret senatum adire et quod cuique bonum in legibus visum esset suadere; tum leges senatus et nomothetæ iurati a paganis electi eximinarent ratasque redderent etc.

Quin igitur e ξυγγραφέων instituto nomothetæ paullatim profecti sint, ex iis quæ sunt exposita in dubium vocari vix potest. Nec licet dubitare, quin in psephismate, quod supra exscripsi, id nomothetarum institutum nascens agnoscendum sit, quod in Timocratea oratione adultum et iam firmum videmus. Nam quisquis diligenter nomothesiam, qualis in Timocratea describitur, cum hac nostra extraordinaria nomothesia, quæ e Tisameni rogatione facta est, componere voluerit, ei fatendum, credo, erit, hinc ad illius altiores gradus et quasi fastigium viam monstratam esse. Primum enim nonnulla communia habent: quæ ferrentur leges, in tabulis proponi oportebat, quo melius cognosceret populus, deinde cuilibet sententiæ dicendæ locum fieri; nomothetas denique iuratos leges latas examinare ratasque reddere oportebat. Sed sunt in Timocratea nonnulla, quæ dissimilia sunt et quæ progressum certum indicent. Ad quod illustrandum hæc fere afferre liceat. In illa igitur quinti sæculi nomothesia tantummodo de *novis legibus* rogandis et sanciendis agitur, non de *veteribus* abrogandis; in hac

vero Timocratea non magis de novis sciscendis quam de antiquis tollendis præscriptum esse audivimius; quin institutum quoddam ad patrocinium veterum legum recipiendum creatum esse invenimus. Nempe paullatim ea opinio populum pervaserat, quamlibet legem mutari posse, prout postulavissent rationes temporum. Porro in illa quarti sæculi nomothesia proedros comitiis præsedisse edocemur. Deinde quod in Timocratea præscriptum esse vidimus, ut nulla lex acciperetur, nisi vetere ei contraria abrogata, demonstrat hunc nomothesiæ ritum ultra Euclidis annum non esse revocandum; neque enim antea, quod sciam, Athenienses in eo studia collocaverant, ut huiusmodi antinomiis legum corpus liberaretur. Ex hoc igitur summum anno ἐπιχειροτονία νόμων repetenda est, nisi forte negamus ratas iam leges ἐπιχειροτονίαν attigisse. Et cum in illa Timocratea lege definite sancitum esse viderimus, ut qui novam tulisset legem, vetere ei contraria non sublata, γραφῇ παρανόμων obnoxius fieret, inde necessario sequitur, huic actioni, antea ad psephismata παράνομα avertenda usurpatæ [1], Euclidis demum anno vel post eum archontem in legibus, quæ dicuntur, locum factum esse.

At enim νόμοι Periclis, Archestrati, Cannoni, aliorum commemorantur; quin senatum nomothesiæ participem fuisse iam in illo libro inc. auctor. de republica Atheniensium composito, quem ante annum 413 scriptum esse constat, memoriæ proditum est [2]. Quod quidem primo obtutu sententenentiæ ei, quam supra protuli, refragari videtur. Quam tamen discrepantiam hoc fere modo solvere velim. Etenim iam ostendere conati sumus, quæ in νόμοις antiquitus notio inesset et quemadmodum in hoc genere opiniones sensim mutatæ essent. Cum igitur νόμοι πάτριοι ad artem hominum revocandi essent tollique, si populo placuisset, posse viderentur, nullum, si quæris, inter νόμους et ψηφίσματα verum discrimen statuere licuit [3]. Atque hoc perspectum esse verba

[1] v. infra p. 61 sqq. [2] v. supra 17 adn. 3.

[3] Ait de comitiis quinti sæculi Atheniensium Wilamowitz, Aristot. u. Athen II p. 193: "Was das Volk beschliesst ist recht und ist Gesetz;

Periclis declarant Alcibiadi quidnam esset νόμος interroganti hæc respondentis: ἀλλ' οὐδέν τι χαλεποῦ πράγματος ἐπιθυμεῖς, ὦ Ἀλκιβιάδη· πάντες γὰρ οὗτοι νόμοι εἰσίν, οὓς τὸ πλῆθος συνελθὸν καὶ δοκιμάσαν ἔγραψε, φράζον ἅ τε δεῖ ποιεῖν καὶ ἃ μή [1]. Hæc tamen in cogitatione nonnullorum et eorum quidem paucorum versabantur; re vera autem inter νόμους et ψηφίσματα etiamnunc discrimen quoddam Athenienses agnovisse constat. Quorum enim psephismatum universa et quasi infinita vis erat quæque ab ea parte ad similitudinem παλαιῶν νόμων accedebant, ea peculiari νόμων titulo ornabantur, licet una eademque ratione atque cetera perlata essent. In quo tamen ne nimis offendat, quod huius quoque generis plebiscita sæpe ψηφίσματα appellata esse monumentis litterarum edocemur, quod si fit inde explanatur, quod magis ritus ac ratio psephismata ferendi quam argumentum et vis eorum respicitur [2].

ein jeder Volksbeschluss schafft neues recht; er darf nur nicht implicite altes recht umstossen und muss selbst auf gesetzmässigem wege zu stande gekommen sein." Quod ad hoc posterius attinet, libenter Wilamowitzio adstipulor ita ut negem, ex iure attico quinti sæculi ius posterius priori derogavisse. Illud vero prius haud approbo, quod affirmat Wilamowitz omne psephisma novum creavisse ius; neque enim, ut supra ostendere conatus sum, in universum contendi licet illius sæculi Atheniensis comitiorum psephismata παλαιοῖς νόμοις æquasse.

[1] Xen. Memor. I, 2, 42.

[2] Cfr Aristoph. Aves, ubi inducitur ψηφισματοπώλης quidam hæc dicens vs. 1035 sq:

Ἐὰν δ' ὁ Νεφελοκοκκυγιεὺς τὸν Ἀθηναῖον ἀδικῇ . . .

et vs. 1038 sq.:

ψηφισματοπώλης εἰμί, καὶ νόμους νέους
ἥκω παρ' ὑμᾶς δεῦρο πωλήσων

Conferas velim etiam Acharn. vs. 533 sqq,

(Περικλέης) ἐτίθει νόμους ὥσπερ σκόλια γεγραμμένους,
ὡς χρὴ Μεγαρέας μήτε γῇ μήτ' ἐν ἀγορᾷ
μήτ' ἐν θαλάττῃ μητ' ἐν ἠπείρῳ μένειν.
ἐντεῦθεν οἱ Μεγαρεῖς ὅτε δη 'πείνων βάδην,
Λακεδαιμονίων ἐδέοντο τὸ ψήφισμ' ὅπως
μεταστραφείη τὸ διὰ τὰς λαικαστρίας.

Sed iam ad actionem παρανόμων revertamur deque origine eius instituti, quid sit statuendum, quæramus. Ac primum quidem animadvertendum est, si hanc γραφήν in lege in Timocratea oratione servata nomothesiæ adiunctam invenimus, non continuo eam ex eodem tempore atque illud institutum repetendam esse. Apud scriptores quidem forte anno 415 demum occurrit, quo anno pater Andocidis senatori cuidam hanc actionem intendit [1]. Sed paucis annis post optimates, ut iam admonuimus [2], hanc actionem sustulerunt, quo facilius statum reipublicæ everti posset [3]. Atque edocemur, iis temporibus γραφὴν παρανόμων quasi patronam et vindicem libertatis visam esse [4]. Quare haud est existimandum aut novum tum fuisse hoc institutum aut inusitatum. Immo vero quo diutius in huius γραφῆς vim atque naturam inquiro, eo magis inclinat animus, ut statuam ad Solonem nostram actionem referendam esse. Nam, ut iam admonuimus, Solo id spectavit ut constituta respublica, quantum fieri posset, immutata maneret. Quod ut exemplis firmem, hæc fere afferre libet. Ac primum quidem Athenienses iureiurando obstricti sunt ad leges Solonis inviolatas servandas [5]; tum lege sanxit Solo, ut infamia is notaretur, qui in

Quo tamen loco verisimile est iocandi causa Aristophanem νόμων vocabulo usum esse. — Psephisma illud gravissimum Cannoni Xen. Hell. I, 7, 20, νόμους appellatur eodem in capite § 23. V. etiam supra p. 51. Ceterum longum est enumerare exempla huius generis confusionis e posteriorum scriptis hausta.

[1] Andoc. de myst. § 17.

[2] p. 43.

[3] Ar. Ἀθ. πολ. c. 29: οἱ δ' αἱρεθέντες τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς καὶ τὰς εἰσαγγελίας καὶ τὰς προκλήσεις ἀνεῖλον, ὅπως ἂν οἱ ἐθέλοντες Ἀθηναίων συμβουλεύωσι περὶ τῶν προκειμένων. — Thuc. VIII, 67: ἢν δέ τις τὸν εἰπόντα ἢ γράψηται παρανόμων ἢ ἄλλῳ τῳ τρόπῳ βλάψῃ, μεγάλας ζημίας ἐπέθεσαν.

[4] Aesch. in Ctesiph § 191: ἔναυλον ἦν ἔτι τοῖς πᾶσιν ὅτι τηνικαῦθ' ὁ δῆμος κατελύθη, ἐπειδή τινες τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς ἀνεῖλον. — Dem. in Timocr. § 154: ἀκούω δ' ἔγωγε καὶ τὸ πρότερον οὕτω καταλυθῆναι τὴν δημοκρατίαν, παρανόμων πρῶτον γραφῶν καταλυθεισῶν καὶ τῶν δικαστηρίων ἀκύρων γενομένων.

[5] v. supra p. 50.

seditionibus neutri parti sese adiunxisset[1], eo scilicet consilio, ne media pars (οἱ μέσοι), qua salus civitatis contineretur, sed quæ a studio novandi esset aversa, ignavia desidiaque sua statum reipublicæ in summum discrimen vocaret[2]; deinde lex illa oblivionis eos excepit, qui affectatæ tyrannidis essent damnati; porro in eos, qui ad statum popularem evertendum coissent, εἰσαγγελίαν instituit[3]; tum præscripsit,

[1] Ar. 'Αθ. πολ. c. 8. — Plut. Sol. c. 20. — Gell. N. A. II, 12.

[2] Cfr Keil, Die Solonische Verfassung in Aristoteles' Verfassungsgesch. Athens p. 105.

[3] Ar. 'Αθ. πολ. l. c.: καὶ τοὺς ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνισταμένους ἔκρινεν (sc. ἡ ἐν 'Αρείῳ πάγῳ βουλή), Σόλωνος θέντος νόμον εἰσαγγελίας περὶ αὐτῶν. Sic Wessely, Kenyon[3], Sandys, alii locum mutilum accipiunt. Dubitat, rectene locus emendatus sit Wilamowitz ideo, quod mira et absona sit dictio illa νόμον εἰσαγγελίας περὶ αὐτῶν (Arist. u. Athen I p. 53 adn 22); item Kaibel, Stil u. Text der πολ. 'Αθην. p. 143. Cfr tamen Wilcken, Hermes XXX p. 623. — Emendatio Wesselii eo vel maxime commendatur, quod νόμος εἰσαγγελτικός posteriorum temporum, in quo varia delictorum genera commemorabantur, quæ εἰσαγγελίας accusatione tenerentur, primum crimini maiestatis (καταλύσει τοῦ δήμου) locum tribuit. Hyper. pro Euxen. § 7: ἐάν τις τὸν δῆμον τὸν 'Αθηναίων λύῃ ἢ συνίῃ ποι ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου ἢ εταιρικὸν συναγάγῃ ἢ ἐάν τις πόλιν τινὰ προδῷ ἢ ναῦς ἢ πεζὴν ἢ ναυτικὴν στρατιὰν ἢ ῥήτωρ ὢν μὴ λέγῃ τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ τῷ 'Αθηναίων κτλ. Aristotelem igitur institutionem huius generis εἰσαγγελίας Soloni adscripsisse constare videtur. Cfr Busolt, Gr. Gesch. II² p. 44 adn., p. 281 sq.; Keil l. c. p. 106; Meyer, Gesch. des Alterthums II p. 658. At enim eo res expedita non est; forsitan enim id de suo addiderit Aristoteles, εἰσαγγελίαν hanc actionem intelligendam esse e similitudine posteriorum tempore concludens (v. Busolt l. l. p. 44 adn., Kenyon[3]). Neque tamen perspicere queo, cur hac potissimum in re ad huiusmodi rationes confugiendum sit, nisi forte Solonis in republica Atheniensium constituenda operam omnino in dubium vocare nobis placet, ut Niesio, Über Aristoteles' Gesch. der Athen. Verfass., Hist. Zeitschr. LXIX p. 38 sqq, aliis. Iam probare student cum alii tum Fränkel, l. c. p. 75 sqq. et Bohm, De εἰσαγγελίαις ad comitia Atheniensium delatis p. 14 sqq., docte illi quidem atque copiose, sed ut mea fert sententia argumentis non satis idoneis, ante extremos quinti sæculi annos εἰσαγγελίαν illam propriam suam notionem nondum induisse. Ad quæ hæc fere respondere velim. Ex eo quod in [Xen.] illo libro de republ. Atheniensium scripto εἰσαγγελίας mentio non fit c. III, 3 (διὰ χρόνου δὲ δικάσαι δεῖ ἀστρατείας καὶ ἐάν τι ἄλλο ἐξαπιναῖον ἀδίκημα γένηται, ἐάν τε ὑβρίσωσί τινες ἄηθες ὕβρισμα ἐάν τε ἀσεβήσωσι) nihil mihi effici videtur; Solonis enim legum complures iis temporibus vigere desierant; atque animadvertandum est hoc fuisse prorium illius ætatis Atheniensium, quod omni in genere novas quasi formas quærebant. Sed tamen constat anno 411, cum popularis status eversus est, inter veterum institutorum custodias sublatas etiam εἰσαγγελίας fuisse, ex quo intelligi potest, ad conversiones ulciscendas usurpatam hanc actionem fuisse. Porro εἰσαγγέλλειν primigeniam significationem, quæ est deferre, nuntiare, apud proximi sæculi scriptores sæpe retinet, ne quis miretur, antea quoque de omnis generis nuntiatione hoc vocabulum dictum inveniri.

ne qua de re ad populum ferretur nisi cognita esset senatus auctoritas[1]; dedit denique Areopago summam corporis iures civitatisque custodiam[2].

Cum igitur esset in cautionibus inveniendis Solo tam providens, omni verisimilitudine caret eum cuivis Atheniensium ius dedisse sine ullo periculo perniciosissima quæque ferendi. Neque rursus Areopagi potentiam talem nobis informare possumus, ut suo arbitrio potuerit vel prohibere, quo minus psephismata ferrentur, vel perlata rescindere. Immo vero est credendum, et culpam rogationum singulos sustinuisse, et singulos iure intercessionis fuisse ornatos. Atque consideremus hæc quoque; senatui quadringentorum Solo, ut monuimus, ius auctoritatem dandi tribuit. Quid vero si quis ad populum, senatu non consulto, tulerat eamque Solonis legem migraverat? Existimandum est eum γραφῆς

[1] Plut. Sol. c. 19. Nec tamen defuerunt, qui hoc quoque institutum Solonis ætati abiudiçarent. Velut Köhler, Mitth. des arch. Inst. IX p. 116 sqq., quo loco de vetustissimo Atheniensium populiscito, quod quidem nobis sit servatum (v. supr. p. 51 et adn. 1), disserit, hanc legem ad posteriora tempora refert propter omissum in præscriptione huius populisciti senatus nomen. Sit sane hoc mirum; re vera autem nihil aliud hac re probari necesse est, nisi certam atque definitam præscriptionum formulam nondum fuisse. Ceterum haud mirandum erat, si constaret populum senatus iuris legitimi illis utique temporibus turbulentis rationem non habuisse. Atque hanc ipsam rationem alii quoque argumento opponere velim, e Plut. Sol. c. 30 sumpto, ubi in Aristionis rogatione commemoranda nullam senatus mentionem iniicit scriptor (cfr Ar. 'Αθ. πολ. c. 14; Herod. I, 59).

[2] Ar. 'Αθ. πολ. c. 8. Plut.

παρανόμων telo impugnari licuisse; constat enim posterioribus temporibus huius legis ruptores actioni παρανόμων obnoxios fuisse[1]. Aliud quoquæ argumentum, a Wilamowitzio prolatum[2], idem obtinet; dedit enim Solo cuilibet Atheniensium potestatem persequendi et vindicandi iniurias cuivis illatas[3]. Quod quidem haud in parvo discrimine ponendum est; hinc enim novum iuris attici constituendi initium. Consentaneum igitur videtur iuri quoque ipsi similem in modum succurrere cuivis licuisse.

Ex harum rerum consideratione mihi verisimillimum videtur, legem de actione παρανόμων conceptam inde a Solonis temporibus repetendam esse. Quod si ita res se habet, quosnam in hac γραφῇ initio iudices fuisse existimandum est? In qua re constituenda pæne a principio omnis de heliasticis iudicibus cogitatio nobis repudianda est. Minor enim, ut iam vidimus, potestas eorum primo erat quam ut cogitari possit eos ad suum arbitrium res, quæ sæpenumero quasi venas et viscera reipublicæ tangerent, decernere potuisse. Nec rursus de comitiis cogitari licet. Restant igitur hæc tria: senatus quadringentorum, magistratus (thesmothetas dico), Areopagus. Sed ne *quingentis* quidem senatoribus quicquam cum hac actione negoti erat, nedum illi Solonis senatui. Thesmothetarum vero collegium sine dubio quodammodo in quæstionibus de iure versabatur et fuerat olim libero iudicandi arbitrio instructa; nec id tamen ætate Solonis, qui eorum vim atque auctoritatem circumscripsit[4].

---

[1] Ar. Ἀθ. πολ. c. 45: προβουλεύει δ' εἰς τὸν δῆμον (sc. ἡ βουλή), καὶ οὐκ ἔξεστιν οὐδὲν ἀπροβούλευτον οὐδ' ὅτι ἂν μὴ προγράψωσιν οἱ πρυτάνεις ψηφίσασθαι τῷ δήμῳ· κατ' αὐτὰ γὰρ ταῦτα ἔνοχός ἐστιν ὁ νικήσας γραφῇ παρανόμων.

[2] Aristot. u. Athen I p. 60 sq., II p. 193.

[3] Ar. Ἀθ. πολ. c. 10: τὸ ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τιμωρεῖν ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων. — Plut. Sol. 18: παντὶ λαβεῖν δίκην ὑπὲρ τοῦ κακῶς πεπονθότος ἔδωκε· καὶ γὰρ πληγέντος ἑτέρου καὶ βιασθέντος ἢ βλαβέντος ἐξῆν τῷ δυναμένῳ καὶ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἀδικοῦντα κτλ.

[4] Ar. Ἀθ. πολ. c. 3: (οἱ θεσμοθέται) κύριοι ἦσαν (sc. ante Draconem) καὶ τὰς δίκας αὐτοτελεῖς κρίνειν καὶ οὐχ ὥσπερ νῦν προανακρίνειν. — Pl. Sol. 18: καὶ γὰρ ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν ὁμοίως καὶ περὶ

Reliquum igitur est, ut senatui Areopagitarum, legum institutorumque summo custodi, hanc actionem decernendam traditam esse statuamus. Atque hoc eo magis, quod Areopagitas in εἰσαγγελίᾳ iudices a Solone institutos esse constat[1]. Quod quidem admodum dignum est quod attendatur; nam huic accusationis generi γραφὴ παρανόμων ab una parte consimilis et natura quasi cognata est; ut enim illam usurpatam esse constat ad eum poena afficiendum, qui παρανομίαις *omnino* obnoxium sese præstiterat, sic per hanc in eum animadversum est, qui παράνομόν quid ad populum *tulerat*[2]. Negat quidem Wilamowitz ius hanc γραφήν iudicandi Areopago concessam esse, quia tantam potentiam maiestatem populi læsuram fuisse affirmat[3], speciose ille quidem sed haud scio an minus recte. Neque enim Solonis temporibus adeo libera et soluta populi potestas iure fuit, ut sententia Wilamowitzii commendari possit. Ceterum, si populo Atheniensium sexti sæculi tanta quantam vult Wilamowitz maiestas tribuenda est, qui tandem potest ipse thesmothetis totum in hac re arbitrium ascribere[4].

Consentaneum igitur videtur, si quidem recte disputatum est, primo Areopagitarum illum sanctissimum senatum in γραφαῖς παρανόμων iudicum vicibus functum esse[5]. Nec

---

ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις. — Suidas v. ἄρχων . . . κύριοί τε ἦσαν (οἱ θεσμοθέται) ὥστε τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ποιεῖσθαι, ὕστερον δὲ Σόλωνος οὐδὲν ἕτερον αὐτοῖς ἐτελεῖτο (τελεῖται) ἢ μόνον ὑποκρίνουσι τοὺς ἀντιδίκους.

[1] V. supra p. 62, adn. 3.

[2] Sæpe apud scriptores copulatæ exstant; ut in Dinarch. orat. in Demosth. § 100 sq.: τί γάρ ἐστι ῥήτορος δημοτικοῦ καὶ μισοῦντος τοὺς κατὰ τῆς πόλεως λέγοντας καὶ γράφοντας; — — — οὐ κρίνειν ἀλλήλους; οὐκ εἰσαγγέλλειν; οὐ γράφεσθαι παρανόμων; — — — εἰσήγγελκας τὸν παρὰ τὰ τοῦ δήμου ψηφίσματα καὶ τοὺς νόμους πολλὰ διαπεπραγμένον; — Demosth. de cor. § 12: — — — εἰ μὲν εἰσαγγελίας ἄξια ποιοῦνθ' ἑώρα εἰσαγγέλλοντα καὶ τοῦτον τὸν τρόπον εἰς κρίσιν καθιστάντα παρ' ὑμῖν, εἰ δὲ γράφοντα παράνομα παρανόμων γραφόμενον.

[3] l. c. p. 194.

[4] Cfr Busolt, Gr. Gesch. III[2] p. 279 adn. 3.

[5] Ceterum conferri possunt quæ de Lacedæmoniorum quadam lege Plutarchus narrat, Lyc. c. 6: αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας ἦμεν.

tamen, si ita est, continuo nihil thesmothetis fuit iis temporibus cum hac actione commune. Existimandum enim est — certe nihil esse videtur, quod huiusmodi repugnet opinioni — ut posterioribus temporibus, sic iam Solonis ætate thesmothetas Areopagitis iudicibus præsedisse. Iam vero putandum est, Ephialtæ ætate hanc potestatem Areopagitis ereptam et ad heliastas translatam esse. Unde optime declaratur error ille Lex. Cantabr., quem supra p. 53 adn. 2 commemoravimus; ex eo enim hunc errorem profectum esse verisimillimum est, quod Philochorus Areopagitarum in παρανομίαις avertendis operam eodem commemoraverat loco, quo de institutione nomophylacum verba fecerat[1].

Atque nunc primigeniam γραφῆς παρανόμων vim constituere conemur. Qui psephisma παράνομον tulerat, in eum hanc actionem intendi licuit. Quid tandem illud παράνομον intelligendum est? Responsio aperta et prompta erit, si quidem consideraverimus, quæ antiquitus fuerit Atheniensium de νόμων ampla vi sententia. Παράνομον enim haud dubie tunc intelligebatur, quod contra ius deum hominumque esset, quod æquitatem læderet, quod a moribus abhorreret, licet nulla a nomothetis data lex diserte vetuisset[2]. Nam populus Atheniensium in psephismatibus faciendis non scriptis modo legibus se teneri sensit; vim naturamque νόμων læden-

[1] Cfr præterea Busolt, Gr. Gesch. III[2] p. 279 adn. 3.

[2] Cfr quæ supra disputavimus. Iam satis fuerit hos fere locos exempli causa attulisse. Aesch. Choeph. vs. 150 sq.:

ὑμᾶς δὲ κωκυτοῖς ἐπανθίζειν νόμος
παιᾶνα τοῦ θανόντος ἐξαυδωμένας. —

Soph. Andromed. Frgmt. 122 (Nauck[2]):

νόμος γάρ ἐστι τοῖς βαρβάροις θυηπολεῖν
βρότειον ἀρχῆθεν γέρος [1]) τῷ Κρόνῳ
([1] γένος Scal., γέρας Buttm , θέρος Gomperz).

Aristoph. Plut. 967: πέπονθα δεινὰ καὶ παράνομ', ὦ φίλτατε. —
Thesmoph. 684: ὅτι τὰ παράνομα τά τ' ἀνόσια θεὸς
ἀποτίνεται,
παραχρῆμά τε τίνεται.

Metuebant Athenienses Alcibiadis μέγεθος τῆς κατὰ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα παρανομίας ἐς τὴν δίαιταν, Thuc. VI, 15. Classen recte vertit: "seine alles Maass überschreitenden Extravaganzen".

dam non esse[1]; id est, decreta oportebat esse iusta, æqua, ad reipublicæ salutem spectantia; sin minus, Athenienses παρανομίαν in se admisisse sibi videbantur. Quare statuendum est, quicunque iniquum, iniustum, publicæ saluti contrarium psephisma tulisset, eum per actionem παρανόμων iam ab initio postulari licuisse. Erat igitur maxima a Solone potestas Areopagitis tributa, neque mirandum est, eam Areopago eripere populares nihil pensi habuisse, præsertim cum in illa voce παρανόμων interpretanda ambiguitas quædam sine dubio inesset. Neque tamen id spectavit Solo, ut huiusmodi ambiguitatibus leges suas liberaret; immo vero antiquis edocemur testimoniis de industria eum obscuras leges ideo fecisse, ut penes iudicia liberum esset arbitrium[2].

Quæ cum ita sint, non est mirandum, si posteris quoque temporibus in eandem partem huius γραφῆς vim Athenienses accepisse videmus. Velut Lycurgus dicit orat. in Leocr. c. 7: ὅταν μὲν γὰρ τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς δικάζητε, τοῦτο μόνον ἐπανορθοῦτε καὶ ταύτην τὴν πρᾶξιν κωλύετε, καθ' ὅσον ἂν τὸ ψήφισμα μέλλῃ βλάπτειν τὴν πόλιν. Non id dico — id quod e sequentibus satis apparet — his Lycurgi verbis vim actionis nostræ plene explicatam et excussam esse. Sed hoc Lycurgi dictum vel apertissime indicat, moris fuisse per γραφὴν παρανόμων perniciosas rogationes impugnare nec cuiquam hunc γραφῆς παρανόμων usum illegitimum visum esse[3]. Atque id quidem, quamquam tum mutatæ erant Atheniensium de νόμων natura opiniones. Dinarch. in Demosth. § 100 sqq.: τί γάρ ἐστι ῥήτορος δημοτικοῦ καὶ μισοῦντος τοὺς κατὰ τῆς πόλεως λέγοντας; — — — οὐ κρίνειν

[1] Thuc. II, 37: διὰ δέος μάλιστα οὐ παρανομοῦμεν τῶν τε ἀεὶ ἐν ἀρχῇ ὄντων ἀκροάσει καὶ τῶν νόμων, καὶ μάλιστα αὐτῶν ὅσοι τε ἐπ' ὠφελίᾳ τῶν ἀδικουμένων κεῖνται καὶ ὅσοι ἄγραφοι ὄντες αἰσχύνην ὁμολογουμένην φέρουσι.

[2] Arist. Ἀθ. πολ. c. 9. Certe id consilium Solonis fuisse populares sibi persuaserant.

[3] Lycurgum hoc loco celeberrimam illam Ctesiphontis causam respexisse, ut vult Schöne, N. Jahrb. f. Philol. XCIX p. 737 sq., credibile non est; in illa enim causa huiusmodi vitia vel minime vituperantur. Sed fac id constare, nihil, si quæris, ad rem.

ἀλλήλους; οὐκ εἰσαγγέλλειν, οὐ γράφεσθαι παρανόμων; γέγραψαι ψήφισμα Δημόσθενες, πολλῶν ὄντων καὶ δεινῶν καὶ παρανόμων ὧν Δημάδης γέγραφε; Pollux VIII, 44: παρανόμων δὲ (sc. γραφαί) εἴ τις ψήφισμα γράψαι ἢ νόμον παράνομον· ὑπομοσάμενος γάρ τις τὸ γραφέν, οὗ ἡ κατηγορία ὑπωμοσία ἐκαλεῖτο, διήλεγχεν ὅτι ἐστὶ παράνομον ἢ ἄδικον ἢ ἀσύμφορον. — VIII, 56: ὑπωμοσία δέ ἐστιν, ὅταν τις ἢ ψήφισμα ἢ νόμον γραφέντα γράψηται ὡς ἀνεπιτήδειον· τοῦτο γὰρ ὑπομόσασθαι λέγουσιν κτλ. Quare putandum est ut in legibus, sic in psephismatibus ἐπιτηδείου nomine accusationem παρανόμων fulciri potuisse. Ceterum mirandum erat, si legum incommoda urgere licuit, psephismatum vero non licuit. Mihi quidem recte Thumser, ex sua parte, Madvigium defendens, Schoellio adversari videtur. Exscribere mihi liceat verba eius. Hæc enim habet: "Wenn dagegen Schöll 136 die Zulässigkeit der im Texte ausgesprochenen Behauptung auf Psephismen beschränken will, so ist dem gegenüber hervorzuheben, dass, wenn nicht einmal gegen die verhältnismässig rasch und oft übereilt Zustandegebrachten Volksbeschlüsse die γραφὴ παρανόμων mit Rücksicht auf die materiellen Gebrechen erhoben werden konnte, es auffällig wäre, wenn dies gegen neu erlassene Gesetze möglich gewesen wäre, die doch eine weit sorgfältigere Vorbereitung und Beratung erfuhren, um so auffälliger, als ja das Mittel der Epicheirotonie alljährlich angewendet werden konnte" [1].

Atqui, obiiciat quis, si iisdem argumentis in psephismatibus atque in legibus hanc accusationem niti potuisse putandum est, qui tandem hæc accusatio tamquam ab illa plane diversa commemoratur? [2] Quod quidem hoc modo expediendum esse censeo. Eo enim tempore, quo παρανόμων γραφῇ in legibus locus factus est, illud παράνομον non satis idoneum fuit, quod tituli adhiberetur loco. Nam in sciscendis legibus, quas universam et infinitam vim habere oporteret,

[1] l. c. p. 531 adn. 2.

[2] V. supra p. 1 adn. 3; p. 17 sqq. — Pollux VIII, 87: ἰδίᾳ δὲ οἱ μὲν θεσμοθέται — — — τὰς προβολὰς εἰσάγουσιν καὶ τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς καὶ εἴ τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον.

id ante omnia erat cavendum, ne incommodissima quæque et perniciosissima sciscerentur; inde declaratur Aristoteles illud γραφὰς παρανόμων καὶ νόμον μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι.

At enim per hanc amplam iudiciorum potestatem populi maiestatem circumcidi necesse fuit [1]. Ad quod hæc fere respondere velim. Si ex huiusmodi argumentis proficisci libet, hoc tenendum, illam maiestatem iure quidem iudiciorum fuisse, non comitiorum. Neque enim ideo Athenienses liberam atque nullis terminis circumscriptam potestatem suam esse putaverunt, quod in comitiis ius suffragii haberent, sed quia ad iudicia, quibus gravissimæ quæque res permittebantur, cuilibet aditus patebat. Quare optimo iure Aristoteles de hac re hæc dicit: τρίτον δὲ ᾗ μάλιστά φασιν ἰσχυκέναι τὸ πλῆθος ἡ εἰς τὸ δικαστήριον ἔφεσις· κύριος γὰρ ὢν ὁ δῆμος τῆς ψήφου κύριος γίνεται τῆς πολιτείας [2]. Et Plutarchus: ὃ (sc. τὸ δικάζειν) κατ' ἀρχὰς μὲν οὐδέν, ὕστερον δὲ παμμέγεθες ἐφάνη· τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν διαφόρων ἐνέπιπτεν εἰς τοὺς δικαστάς [3]. Etenim provocatio plerisque in rebus a comitiis ad iudicia concessa erat. Quamobrem haud ita nimius est orator cum dicit: ὁρῶ γὰρ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι οὐ μόνον τῶν ἀπεψηφισμένων Ἁλιμουσίων ἐμοῦ κυριώτερ' ὄντα τὰ δικαστήρια, ἀλλὰ καὶ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου, δικαίως· κατὰ γὰρ πάνθ' αἱ παρ' ὑμῖν εἰσι κρίσεις δικαιόταται [4].

Iam vero paucis complectamur quæ in hoc capite disputavimus. *Actio igitur παρανόμων a Solone instituta est ad psephismata παράνομα impedienda. Atque inde ab initio hæc γραφή a quolibet eo nomine intendi poterat, si quis aut ritum ferendi læsisset aut legibus obrogasset aut incommodam rogationem tulisset. Cum vero sub finem quinti vel initio quarti ante Chr. natum sæculi Athenienses epichirotoniam annuam nomothesiamque instituerent, statuerunt, ut etiam in legibus locus huic γραφῇ fieret. Quicunque enim vitiosam legem tulisset* (v. supra p. 25 sqq.), *is huic*

[1] Madvig l. c. p. 380 sqq. — Neubauer l. c. p. 7 sqq.

[2] Ἀθ. πολ. c. 9.

[3] Sol. c. 18.

[4] [Dem.] adv. Eubul. § 56. — Cfr Fränkel l. c. p. 38 sqq.

accusationi obnoxius factus est. Verum in legibus sciscendis ante omnia utilitas spectabatur; hinc illa divisio γραφαὶ παρανόμων et ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον.

Restat ut in orationes nonnullas in actione παρανόμων habitas diligentius inquiramus, ut in illustribus causis, summas tantummodo rerum atque sententias afferentes, rationem actionis sub omnium oculos ponamas.

Leptines legem promulgaverat, ne quis, exceptis posteris Harmodii et Aristogitonis novemque archontibus, immunis esset neve in posterum exceptio daretur. Quam legem Bathippus, ut antea monuimus, subscriptoribus duobus impugnavit. Obiit tamen Bathippus, antequam causa in iudicio ageretur. Post circumactum vero a rogatione lata annum, cum propter præscriptionem lator ipse ἀνυπεύθυνος esset, Apsephio, filius Bathippi, et Ctesippus, quorum hic Demosthene, ille Phormione συνηγόρῳ usus est, legem per γραφὴν παρανόμων adorti sunt.

Iam initio orationis Demosthenes a qua parte maxime legem consideraverit et quo potissimum nomine eam impugnaturus sit aperit. Utile enim reipublicæ esse legem tolli (μάλιστα μὲν εἵνεκα τοῦ νομίζειν συμφέρειν λελύσθαι τὸν νόμον). Commodo reipublicæ alienum esse populo potestatem præmia impertiendi eripi. Etiamsi interdum dona indignis sint tributa, tamen utilius (μᾶλλον λυσιτελοῦν) esse arbitrium immunitatis dandi penes populum esse.

Maiestatem populi lege Leptinea lædi; dedecus enim eam civitati allaturam esse (§ 10: ἀντὶ καλῆς (sc. δόξης) αἰσχρὰν τῇ πόλει περιάπτει).

Moribus Atheniensium haud convenire legem ratam facere; maiores non modo utilitatem, verum etiam honestum respexisse (§ 11: οὐδ' ἐστίν ὅλως ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοῦ ἤθους τοῦ ὑμετέρου κύριον ποιῆσαι τοιοῦτον νόμον. — § 13: . . . οὐ τὸ λυσιτελέστατον πρὸς ἀργύριον σκοποῦν, ἀλλὰ τί καὶ καλὸν πρᾶξαι).

Legem Leptineam tollere reipublicæ fidem, qua sola præmia populi aliorum donis præstent (§ 17: ὁ τοίνυν τὴν πίστιν ἀφαιρῶν τῶν δωρειῶν οὗτος, ᾧ μόνῳ κρείττους εἰσὶν αἱ παρ' ὑμῶν δωρειαί, τοῦτ' ἀφαιρεῖται). Atqui Leptinem fortasse contendere velle lege ipsius munera ex inopibus ad divites recidere. Bene quidem, si modo verum sit (§ 18: ἔστι δὲ τοῦθ' οὑτωσὶ μὲν ἀκοῦσαι λόγον τιν' ἔχον). Verum longe aliter rem se habere Demosthenes ostendit. Et posito atque concesso immunitatibus sublatis numerum munera obeuntium augeri, ne sic quidem sanciendam esse legem, quæ fidem publicam violet eosque iniuria afficiat, qui optime de re publica meruerint.

Præterea opulentissimum quemque, si quidem ceterorum munerum vacatio data sit, plurimum ad τριηραρχίαν et εἰσφοράν sustinendas valere; ergo illam vacationem summo esse reipublicæ emolumento. Proinde legem Leptineam, quippe quæ multo plus damni quam commodi afferat, iudices tollere ne dubitent (§ 28: οὔκουν ὅτε πολλῷ μείζονα βλάψει τῶν ὠφελειῶν ὧν ἔχει, προσήκει λελύσθαι παρὰ τοῖσδ' αὐτόν; ἔγωγ' ἂν φαίην).

Multos, qui summa in rempublicam beneficia contulerint, Leptinea lege rata inhonestissimum in modum præmiis fraudari. Etenim columnas, in quibus Athenienses populiscita in honorem illorum facta insculpserint, posteritati documentum dare maximum, quanta in illis psephismatibus sit veritas atque constantia. Et in nimiam improbitatem (πρὸς κακίας ὑπερβολήν) eiusmodi legem pellicere, quæ fidem populi frangat. Atque id eo magis, quod non sit, cur decreta rescindantur. Neque exteros solum iniuria affici; verum eo quoque nomine legem esse impugnandam, quod eadem iniuria cives afficiantur. Quin verum quærenti non id agi, utrum lex idonea sit necne, sed potius iudices ipsos examinari, sintne ad beneficia accipienda idonei necne (§ 83: νῦν οὐχ ὁ νόμος κρίνεται πότερ' ἔστ' ἐπιτήδειος ἢ οὔ, ἀλλ' ὑμεῖς δοκιμάζεσθ' εἴτ' ἐπιτήδειοι πάσχειν ἔστ' εὖ τὸν λοιπὸν χρόνον εἴτε μή).

Aliam multoque salubriorem et iustiorem legem in

Leptineæ legis locum, quam commodam esse negat, Demosthenes sese subrogaturum esse contendit. Neque tamen ita ut fecerit Leptines, qui ordinem ac modum legum ferendarum læserit. Ceterum esse præclaram legem, quæ diserte præcipiat ut quæcunque præmia impertiverit populus, ea certa atque rata sint. Cur illam legem Leptinem non abrogavisse? Etenim ex ea quoque parte γραφῇ παρανόμων legis alicuius latorem obnoxium effici, si veteribus obrogaverit legibus. Præterea incommodum esse, si lege de præteritis atque de futuris non eadem caveantur. Quid enim si existant, qui pares sint Harmodio et Aristogitoni?

Proinde legem Leptineam, quæ nulla in parte commoda aut utilis sit, iudices iurati tollere ne dubitent.

His expositis videamus, quemadmodum orationem accipiant ii, qui accusationem παρανόμων ab incommodis legum legitime repeti negant. Hoc igitur modo Madvigius argumentatur (l. c. p. 388): "In dieser Sache hatte vor dem Demosthenes ausser den nominellen Anklägern Aphepsion und Ktesippos ein anderer Redner, Phormion, als Beistand (συνήγορος) des Aphepsion gesprochen . . . und offenbar den juristischen Theil der Anklage, den Nachweis des παράνομον, so behandelt, dass es für den zweiten Redner unnöthig war darauf zurückzukommen; vielleicht war dieser Theil so schwach, dass es im Interesse der Anklage lag, die Aufmerksamkeit der Richter nicht zu stark darauf zu lenken. — — —

Dem. hat die Rechtsfrage ganz einfach übergangen, sich mit dem, was von anderen darüber gesagt war, begnügend und sich nur die Bearbeitung der Stimmung und der Gefühle zur Aufgabe gemacht." Hæc fere Madvigius. Atque simili ratione Lipsius, Att. Proc. p. 432, rem expedit, minus tamen iuste Madvigium in eo iudicasse affirmans, quod statueret in commodis et incommodis ideo orationem versatam esse, quia minora essent quæ in iure versarentur vitia.

Secundo quidem loco Demosthenes verba fecit, et iam Schoemann animadvertit, ideo fortasse breviorem fuisse oratorem in iis, quæ iam ante ab Apsephione aut Phormione satis pertractata essent. Neque tamen, si ita est, idcirco cum Madvigio contendi licet, perspicuum esse ea quæ ad ius pertinerent ita a Phormione consumpta esse, ut ampliore de istis rebus commemoratione non opus esset. E testimoniis enim veterum nihil aliud effici potest, nisi utrumque oratorem omnia, ordine tantummodo mutato, tractasse. De qua re Hermogenes, περὶ μεθ. δειν. c. XXIV, mentionem his verbis facit: Φορμίωνος γὰρ προκατηγορήσαντος τοῦ νόμου καὶ χρησαμένου τοῖς κεφαλαίοις τῆς διαιρέσεως, τῷ δικαίῳ, τῷ συμφέροντι, τῷ καλῷ, τῷ τῆς ἀξίας, ἀνέστρεψε (sc. Δημ..) τὴν τάξιν μεταβαλών. Quæstionem vero de παρανόμῳ in Phormionis oratione dominatam esse, nihil est quod statuamus. De qua re recte monet Wolf Prolegg. in Leptinem (Dem. Dind. VI p. 599): "(in δευτερολογίαις) vix potuit fieri, quin sæpe eadem, quæ πρωταγωνιστής dixisset, repeterentur, mutatis tantum verbis, ordine argumentorum, aliis id genus". Cfr nostra orationis § 2: ἐγὼ δ' ὅτι μὲν τινῶν κατηγοροῦντα πάντας ἀφαιρεῖσθαι τὴν δωρειὰν τῶν ἀδίκων ἐστίν, ἐάσω · καὶ γὰρ εἴρηται τρόπον τινά κτλ., id quod tamen non obstat, quominus illud ἄδικον sæpenumero urgeat orator. Nihil igitur hac Madvigii argumentatione efficitur, neque illa altera ratio, quæ ab infirmitate τοῦ παρανόμου repetitur, probabilior est. Diserte enim in Leptinea lege παρανομίαν inesse orator demonstrat neque, ut ait Madvig, rationes eas, quæ in iure versarentur, temere transiluit, sed graviora urgenda censet; neque enim in παρανομίᾳ maximum legis vitium positum esse putavit, sed in incommodo, iniusto, turpi.

Iam vero ad Dem. orationem in Timocratem scriptam transeamus. Androtio, Glaucetes, Melanopus, legati ad Cariam profecti, mercatoribus quibusdam Naucratitis τὰ χρήματα eripuerant. Tum Euctemo quidam ad populum rem detulit. Quo factum est, ut aut statim solvere eos necesse esset aut in vincula coniici. Tum vero Timocrates, sodalis amicusque Androtionis, legem tulit novam, cuius summa hæc fere erat.

"Si cui, qui ærario publico obæratus est, insuper lex vel psephisma vincula irrogaverit vel postea irrogatura erit, ei vades dare licebit, qui spondeant reum debitum persoluturum esse. Qui vades dederit, vinculis liber esto. Sin autem debitam pecuniam intra nonam prytaniam non solverit, reus in carcerem coniicitor; vadum autem bona publicantor."

Hanc Timocratis legem Euctemo et Diodorus per actionem παρανόμων aggressi sunt, atque erat Diodorus πρωταγωνιστής, pro quo Demosthenes scripsit hanc, in qua versaturi sumus, orationem. Nunc capita complectamur.

"Magnas republicæ pecunias eripientem, leges omnes violantem, neque commodam neque iustam rogationem Timocratem tulisse. Qua rogatione deos sacra, rempublicam publica pecunia privatam esse, irrita senatus, populi, iudiciorum decreta effecta, licentiam cuivis rapiendi datam esse. Ad quæ omnia arcenda γραφὴν παρανόμων institutam esse.

Ac primum quidem ritum ferendi in legibus præscriptum Timocratem observare omisisse. Neque enim rogationem in publico proposuisse ad statuas eponymorum, nec tempus legitimum ad eam cognoscendam dedisse. Deinde Timocratem ratis legibus obrogavisse. (Quas quidem Demosthenes enumerat.)

Sed ne commodam quidem aut utilem rogationem tulisse. A prima usque ad ultimam syllabam vitiis esse imbutam. Nullam profecto magis perniciosam aut malam legem excogitari posse. Totam perturbare rempublicam, ærarium exhaurire, prorsus impedire, quominus Athenienses res externas fortiter tueantur. Proinde in eiusmodi legislatorem graviter animadvertant.

Iam sese ostendisse, Timocratem omni ex parte accusationi obnoxium esse, primum quod ferendi migraverit ritum, deinde quia legibus ratis obrogaverit, denique quia ea svaserit, quæ reipublicæ detrimento sint."

Nunc audiamus quæ Madvigius de hac oratione sentiat. Ait l. c. p. 385: "(der Redner verspricht) zuerst zu

zeigen, dass das Gesetz — — — παρὰ πάντας τοὺς νόμους — — — zu Stande gebracht sei — — — Dann geht er zu dem formellen Mangel des Gesetzes selbst über — — — Erst nach dieser Darstellung der Gesetzwidrigkeit (τοῦ παρανόμου) unternimmt der Redner zu zeigen, was er schon § 61 als nothwendiges Supplement angedeutet hatte (— weil sonst der anscheinend gute Gehalt des Gesetzes die Richter bewegen könnte von den Formfehlern wegzusehen —), dass das Gesetz nicht einmal zweckmässig und nützlich (ἐπιτήδειος οὐδὲ συμφέρων) sei — — —."

Nihil profecto hac speciosa ratiocinatione Madvigius probare potest. Fulcitur disputatio eius sine dubio eo, quod in tertia demum accusationis parte illud ἀσύμφορον positum est. Quod tamen argumentum non nimis ad persuadendum aptum est. Mihi quidem magis mirandum visum esset, si talia tantaque quæ in iure versarentur vitia perspiciens quæque ante omnium oculos ponere posset, nihilominus illud ἐπιτήδειον primum orator ursisset. Vide præterea quæ antea disputavimus. Ceterum interdum minus difficile erat multitudini ostendere, legem aliquam veterum legum verbis repugnare quam commoda incommodave legis exponere ita ut populo dilucide eminerent atque exstarent. Et cum dicit Madvigius, Timocratem propterea illud ἀσύμφορον ursisse, quod, ni ita fecisset, *speciosum legis argumentum* iudices ad ius ipsum neglegendum movere potuerit, videamus ne hac ratiocinatione usi eodem iure et in Leptinea dicere possimus, Demosthenem illud παράνομον tractandum sibi ideo suscepisse, ne *speciosa legis forma* iudices ad ἀσύμφορα prætermittenda pelliceret.

Iam ad alias duas orationes, quæ ad *psephismata* impugnanda habitæ sunt, transeamus. Ac primum quidem orationem adversus Androtionem scriptam tractemus.

Erat Athenis lex, ut senatus quingentorum quotannis naves ædificaret, quod ni fecisset coronam a populo petere vetabatur. Androtio autem psephisma ἀπροβούλευτον tulit, ut senatus, quamvis naves ædificandas non curavisset, coronaretur. Cui rogationi obsistendum censuerunt Euctemo

et Diodorus, quorum ille priores causæ partes, hic, cui Demosthenes hanc composuit orationem, posteriores agit.

Dicit orator se pauca allaturum esse, quæ Euctemo prætermiserit. Androtionem senatus auctoritatem cognoscere debuisse, antequam psephisma ad populum detulisset. Atqui sine dubio Androtionem dicere in animo habere, senatus auctoritate opus non esse; legem enim iubere, ut senatus coronetur, si populo visum esset; populum autem psephisma comprobasse.

Sed rogationes vetitas omnino non licere ad populum ferri.

Lege quidem caveri, ne senatus, triremibus non factis, coronas *petat*. Quodsi *petere* vetitum sit, ne *dari* quidem coronas posse.

Præterea diserte legem vetare, ne quis ἡταιρηκώς in republica versetur. Quare Androtionem, virum impudicum et flagitiosum, coram populo verbo facere non licere. De παρανόμων γραφῇ agi; Androtionem παρανόμως et scripsisse et vixisse.

Patrem Androtionis pecuniam ærario debuisse nec tamen persolvisse. Ad filium ergo officium solvendi atque infamiam transisse.

At enim, si Androtionis psephisma irritum fiat, senatum infamia affici. Sane, sed id quæri, quæ ex psephismate eventura sint. Quibus perspectis sine dubio statui posse, Androtionem si non ob aliam causam, ob eam certe poena afficiendum esse.

Atque in universum contendere licere, Androtionem omnis generis infamiam sibi contraxisse maximisque suppliciis dignum esse.“

His fere argumentis nititur Demosthenes. Iam perspicuum est ea, quæ de moribus Androtionis orator affert, nihil ad rem pertinuisse. In actione enim παρανόμων non qualis rogator, sed qualis rogatio sit quæritur. Sed incommodum rogationis optimo iure urgetur. Brevior sine dubio hoc loco orator est, sive quod incommoda psephismatis oculis iudicum plane subiicere difficile fuisse putandum est, sive quod deuterologia erat. Diserte enim affirmat orator se ea tantummodo afferre velle, quæ prætermiserit Euctemo.

Reliquum est, ut in orationem in Aristocratem habitam inquiramus.

Charidemum Oritam Athenienses' civitate donaverunt. Tum Aristocrates rogationem tulit, a senatu comprobatam, huiusmodi: “Si quis Charidemum occiderit ius fasque esto eum apud omnes populos, qui foedere et amicitia cum Atheniensibus coniuncti sunt, comprehendere. Si quis eum comprehensum liberaverit, foederum expers esto.“ Quod senatus consultum, antequam suffragiis populi subiiceretur, per actionem παρανόμων adortus est Euthycles, Demosthenis oratione usus. Et hoc fere modo orator argumentatur.

Id ante omnia se cavere velle, ne Athenienses, ipsis verbis rogationis decepti, Chersonesum admittant. Iudices enim, si recte iudicare velint, non modo verba rogationum respicere oportere, sed etiam quæ inde sint eventura. Etenim Aristocratis psephismate comprobato re vera Chersonesum Atheniensibus eripi.

Aequum esse se pollicitum tria demontraturum esse, primum senatusconsultum contra leges factum, deinde incommodum, tum indignum, iudicibus ipsis permittere, quid primo, quid secundo, quid tertio collocetur loco.

Primum de violatis legibus verba se facturum esse. Multis enim legibus Aristocratis rogationem obrogare. Velut cum lex aperte iubeat, si quis occisus sit, senatum Areopagiticum iudicum fungi vicibus, Androtionem tulisse, ut statim homicidam abduci liceret. Esse iniurias quasdam, ad quas ulciscendas lex cædis faciendæ potestatem dederit; Androtionem autem nullam dedisse exceptionem. Lege cautum esse, ne per simplex psephisma ratis legibus obrogaretur; Androtionem autem leges ratas susque deque habuisse.

Sed sæpe accidere, ut ii, qui ritum ferendi læserint legibusque ratis obrogaverint, contendant se ea rogavisse, quæ commodo essent reipublicæ. Quam tamen argumentationem stultam et impudentem esse. Etenim, etiamsi rogatio ab omni parte utilis sit, tamen nullo modo com-

probari posse, si quidem legibus ratis obroget. Sed inesse tamen in ista impudentia aliquid veri, ob eamque rem illam rationem examinandam esse. In quo tamen apparere rogationem, etiamsi legibus ratis prorsus obroget, tamen magis esse perniciosam.

Hæc fere est summa orationis. De hac oratione Madvigius cum alia tum hæc dicit: "Nachdem er (Demosthenes) hierüber (sc. über die Gesetzwidrigkeit) bis § 89 gesprochen hat, meint er (100), Aristocrates werde nicht läugnen können, sein Psephisma streite gegen alle (die betreffenden) Gesetze (παρὰ πάντας τοὺς νόμους); *er* (der Redner) *habe aber bemerkt, dass Leute, die der Gesetzwidrigkeit* (παρανόμων) *angeklagt waren, den Gesetzen nach schuldig befunden wären* (τοῖς νόμοις ἁλισκόμενον), *sich aber vorgenommen hätten, zu zeigen, dass ihr Vorschlag nützlich gewesen, und sich auf diesem Wege durchzuschlagen versucht* (βιαζόμενον), *eine Art der Vertheidigung, die an sich verkehrt* (einfältig, εὐήθης), *ja unverschämt sei, indem sie fordere, dass die Richter, die geschworen hätten, nach den Gesetzen zu richten, einen Beschluss aufrecht halten sollen, welchen der Angeklagte selbst nicht als rechtlich zu stande gebracht* (δικαίως γεγραμμένον) *nachweisen könne; da aber diese Vertheidigungsart (wenn nur auf den Erfolg gesehen werde) nicht ganz ungereimt sei* (ἔχει τιν' ὅμως ἡ ἀναίδεια λόγον) *wolle er diese Ausflucht abschneiden, indem er zeige, der Beschluss sei eben so schädlich als gesetzwidrig.* Es ist nicht möglich, klarer den Rechtspunkt bei der γραφὴ παρανόμων, ihre wahre Meinung und Absicht von dem advokatorischen Beiwerke zu trennen, als es hier geschieht".

Hæc fere Madvigius. Quomodo autem ex orationis nostræ verbis ad sententiam suam fulciendam tam firmum se argumentum sumere posse existimet, non plane intelligo. Nam Aristocratem, qui tot violavisset leges, huic actioni obnoxium fuisse, etiamsi quæ e republica essent suasisset, omnes sine controversia concedere possunt; nec tamen, si ita est, idcirco orator incommodum urgendo extra causam ipsam egressus est. Sine dubio illis verbis orator utitur,

ne iudices, commodis psephismatis pellectos, effugiat, iam alia ob vitia rogationem aspernandam esse. Similem fere in modum ratiocinatur in oratione in Timocratem habita, § 61: ἀλλ' ἴσως ἐγὼ μέν, εἰ περὶ πάντων ἐρῶ, ἐξωσθήσομαι περὶ τοῦ μηδ' ἐπιτήδειον ὅλως ὑμῖν εἶναι τὸν νόμον εἰπεῖν, ὑμῖν δ' ὁμοίως ἔνοχος φανεῖται τῇ γραφῇ, καὶ εἰ ἑνὶ τῶν ὄντων νόμων ἐναντίος ἐστίν. Nihilominus tamen illud οὐκ ἐπιτήδειον per maximam orationis partem serpit.